Item, statuimus ut omnia suprà dicta capitula et statuta in chartis publicis per manum publici notarii redigantur, et cum Sigillo domini Comitis, et cum sigillo domini R. Forojuliensis episcòpi sigillentur. Si verò prædicta sigilla frangerentur, vel vetustate abolirentur, ideò non minùs valeant instrumenta et statuta, sed suam obtineant firmitatem.

Item aliud Statutum de Cavalcatis.

Item, super cavalcatis statuimus ut domini Castrorum vel Coheredes non dividant inter se denarios cavalcatarum, sed eos habeant milites qui ibunt pro cavalcatis. Item, statuimus ut militi cum equo armato dentur XX libræ Raymundi pro XL diebus, et pro equo non armato dentur militi X libræ Raymundi pro XL diebus.

Item super Cavalcatis.

Item, statuimus ut si miles dùm erit in cavalcatis equum suum amittat cum armis vel ei auferatur ex quo castrum suum exierit, pretium equi ei restituatur ab hominibus castri vel villæ pro quo fuerit in cavalcatis. Pretium verò dicti equi sit mille solidorum Raymundi. Si vero Rossinum amitteret, pro pretio dicti Rossini decem libræ Raymundi restituantur : et istæ restitutiones fiant infra tres menses.

De Ovibus euntibus ad montana.

Item, die ut suprà, in dicto parlamento, dictus dominus comes vel Romeus statuit et ordinavit, ut oves ascendentes ad montana et indè descendentes possint transitus facere juxta vias publicas et drayas antiquas, sive sint per defensa sive extrà : et per territoria ubi non sunt defensa antiqua possint pascere transeundo de plano propè vias publicas et drayas, non faciendo malum messibus, pratis neque defensis. Item statuit et ordinavit ut oves euntes et redeuntes, ut dictum est, possint pascere bono modo, ità ut dicant et faciant ad cognitionem curiæ in territoriis propè vias publicas et drayas. Item statuit et ordinavit ut ad aquas, causâ bibendi, possint pecora et armenta ire et redire per vias et drayas ad hoc statutas, secundùm quod visum est, sine banno. Item statuit et ordinavit, ut nullus Castellanus vel miles ab ovibus euntibus et redeuntibus à montanis, in formâ ut dictum est suprà, possit exigere vel petere aliquid, sive mutonem, sive aliquam bestiam, seu tomam, vel aliquid in pecuniâ numeratâ.

Capitulum de Bannis.

Item, statuit et ordinavit quod si in deffenso intraverint oves a triginta supra, dent quinque solidos pro banno, vel pignus v solidorum. Item si in messibus sive pratis bannum fregerint, à trentenario suprà dent tres solidos : et hoc de die intelligitur ; et ubi pastores damnum non darent ex industriâ, restituant damnum et solvant. Si verò de nocte oves damnum darent in defensis, messibus vel pratis, à triginta suprà : si in defensis, quinque solidos; si in messibus sive pratis, duos solidos, et hoc si non fieret ex industria pastorum.

De Bannis armentorum.

Item, statuit et ordinavit quod equæ bannum frangentes in messibus, pratis et defensis : si in messibus seu pratis, dent pro quâlibet bestiâ duos denarios; si in defensis, duos denarios. De vaccis verò vel bestiis bovinis, duos denarios de quolibet, et hoc de die vel de nocte. Et hoc non intelligitur de bestiis equinis vel bovinis unius anni, vel infrà, sequentibus matres suas. Damnum restituant et solvant.

De Pascuis et Deffendutis.

Item, statuit et ordinavit quod domini Castellorum non exigant vel capiant ab hominibus quibus territoria sua ad pascua locaverunt, nisi ea quæ pacti sunt de loguerio. Item statuit et ordinavit quod domini Castellorum vel homines qui locaverunt terram suam civibus et averi, non possint facere defendutas nisi habeant proprios boves, et tunc non possint defendere, nisi unum campum tantum, ut dictum est suprà. Item statuit et ordinavit quod avere, quod fuerit ad loguerium in uvernholâ possit stare in terris locatis, si voluerit, per unum mensem post pascha : et illud avere possit stare in estivalibus usquè ad festum sancti Michaëlis.

Contra Usurarios et Fraudem usurarum.

Anno quo suprà, die xx maii, statuit et ordinavit quod si quis majores usuras quàm sint IV pro V acceperint in capite anni, secundùm voluntatem curiæ puniantur; non concedentes quod de voluntate curiæ vel consensu possint aliquæ usuræ exigi. Item statuit et ordinavit quod in venditione alicujus rei non debeat fieri fraus usurarum, et quicumque eam fecerit, quoquo modo à curiâ puniatur. Item statuit quod nullum debitum usurarium hinc usque ad festum sancti Michaëlis ab aliquo exigatur. Quod dictum est de fraude, specialiter dicitur de fraude quæ habetur in venditione pannorum.

In quibus non debet fieri Pignoratio.

Item statuimus quod nullus cursor, seu exactor, seu executor, vel alius officialis, pigneret nec pignorare audeat pro condemnatione aut debito quocunque vel quilibet aliâ ratione, seu causâ, quemquam de armis necessariis ad opus ipsius suæ que familiæ, nec de equis armorum, aut rebus vel bestiis aliis arantibus, nec de instrumentis ad opus arandi necessariis, nec etiam de bestiis salis et merces per vias publicas vehentibus quæ in vulgò apellantur bestiæ de camino, nisi caminarii vectigal seu pedagium vel gabellam subtraherent in damnum curiæ regiæ vel cæterorum in comitatibus Provinciæ et Forcalquerii habentium pedagia. Quo casu servetur et fiat sicut hactenùs est fieri consuetum.

HÆC SUNT STATUTA

CURIÆ AQUENSIS

FACTA

PER DOMINUM RAYMUNDUM BERENGARII

QUONDAM BONÆ MEMORIÆ,

COMITEM PROVINCIÆ ET FORCHALQUERII.

De Sacramento judicis quando intrat judicaturam.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, qui est judex justus, fortis et patiens : Juro ego, Hugo vel talis judex in curiâ Aquensi, per Deum Patrem et Filium ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum et Spiritum Sanctum, et per gloriosam suam Genitricem semperque Virginem Mariam, et per sancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, quod puram conscientiam servabo et omnem justitiam et equitatem omnibus personis coràm me causantibus vel litigantibus quibuscumque, in curiâ supradictâ; et quod in omnibus causis et litibus quæ coràm me ventilabuntur in dictâ curiâ, in quantum ad officium judicaturæ spectabit, et secundùm leges et jus et statuta domini comitis, omnia agam et faciam prout mihi melius visum fuerit justum; et similiter quod domino comiti sanum et rectum consilium dabo, et consulam ei fideliter et bonâ fide prout mihi melius et justum fuerit visum. Et hæc omnia attendam bonâ fide, fideliter et legitimè, absque omni dolo et fraude ac sine malo ingenio, remotis semper indè omni avaritiâ, amicitiâ, inimicitiâ, parentelâ, precibus vel promissis, ac timore, odio et amore et pretio, excepto dumtaxat quod mihi concessum est, vel erit, pro salario à domino comite. Nec recipiam etiam esculentum vel poculentum ab aliquo quem sciam habere causam suam sub examine meo; salvis per omnia reverentiâ et

honore domini comitis et dominæ comitissæ. Item nec recipias aliquid ab aliquo curiæ Aquensis nec ab aliquo de judicaturâ, etsi causam non habeat sub examine meo, excepto esculento vel poculento quod recipere possum ab hiis qui causam non habent sub examine meo. Esculentum verò et poculentum intelligimus ea quæ brevi horâ per duos vel per tres homines consumi possunt.

AD HONOREM DEI

ET GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ

ET OMNIUM SANCTORUM

ET AD OBSERVATIONEM JURIS ET JUSTITIÆ

HAS CONSTITUTIONES FECIT

DOMINUS RAYMUNDUS BERENGARII,

COMES ET MARCHIO PROVINCIÆ ET FORCALQUERII IN CURIA AQUENSI.

Et sequitur qualiter puniantur inobedientes.

Quicumque vocatus fuerit ad curiam pro justiciâ faciendâ vel aliquo facto seu negocio, veniat secundùm quod injunctum fuerit sibi, et præsentet se judici curiæ, nec discedat sine judicis licentiâ, alioquin miles solvat pro pœnâ II solidos et quilibet alius XII denarios in primâ citatione. Si verò secundò citatus fuerit et non venerit, miles solvat IV solidos et quilibet alius II solidos. In tertiâ verò citatione si non venerit, miles solvat X solidos et quilibet alius V solidos. Quod autem dictum est de militibus, intelligitur de filiis eorumdem, et locum habeat in civibus in civitate Aquensi habitantibus. Si verò habitantes extrà civitatem hanc in castris vel villis et bajuliâ Aquensi citati fuerint primò, vel secundò vel tertiò et non venerint, prædicta banna duplicentur in eis, ne homines in consequendâ justiciâ suâ diutiùs fatigentur; et propterea judex nihilominùs puniat arbitrio suo tàm cives quàm forenses qui venire contempserint in captionem bo-

norum permissione contumacis, vel alio modo, secundùm quod ipsi judici videbitur expedire. Et hoc locum habeat, sive citatio pervenerit ad personam ad quam citatio mittitur, sive ad domum habitationis ipsius.

De Extimatione rei faciendâ indebitè petitæ.

Item statuimus ut quicumque fecerit reclamationem in curiâ rei petitæ extimatione teneatur et tàm actor quàm reus dent pignora vel fidejussores curiæ ad rationem trium solidorum pro librâ, et si reus confiteatur debitum sinè aliquâ controversiâ, victus XII denarios pro librâ solvere teneatur. Si verò in continenti à principio non confiteatur debitum reus, et antequàm lis contestetur componant actor et reus, uterque solvat sex denarios pro librâ. Si verò litis contestationem expectaverit reus et antè mandatum vel sententiam composuerit cum actore, uterque XVIII denarios pro librâ præstare curiæ teneatur. Si autem mandatum vel sententia indè detur, uterque, de eo in quo victus fuerit, det III solidos pro librâ. De eo autem in quo victus non fuerit nihil det. Tamen actor expensas quas fecerit in solvendo in curiâ si eas petierit à victo restitui, officio judicis sibi restituantur à victo. Habitâ diligenti consideratione in quo vel in quantum actor vel reus victor extiterit sive victus, hoc addendo prædictis, quod reus in solvendo extimationem quam actor in reclamatione factâ posuerit liberetur, ità quòd sit in electione rei ut extimationem factam ab actore solvere vel restituere rem petitam.

De Expensis condemnati, infra quod tempus restituere eas debeat et causa appellationis incipi debeat et terminare.

Statuimus etiam quòd si quis per sententiam vel per mandamentum fuerit condemnatus, infra XXX dies teneatur victori satisfacere tàm in expensis curiæ quàm in illo in quo fuerit condemnatus. Item, si quis condemnatus fuerit per sententiam, et appellaverit, statuimus ut infra XXX dies à tempore latæ sententiæ causam appellationis incipere teneatur, vel condemnatus in eo in quo fuerit condemnatus satisfacere teneatur. Si verò infra mensem vel usque ad XXX dies inceperit causam appellationis, necesse erit illam causam appellationis infra sex menses à tempore latæ sententiæ terminare, quod nisi factum fuerit, deindè non audiatur, et in eo in quo condemnatus fuerit satisfacere teneatur. Et judex ex suo officio sententiam executoriam mandet.

De Instrumentis usurariorum infra quod tempus valeant vel non.

Statuimus etiam, si quis Judeus vel quivis usurarius ostenderit publicum instrumentum, usuras seu pœnam continens, non valeat, si triennium elapsum fuerit à termino primæ solutionis fiendæ, nisi querimonia fuisset in medio tempore deposita in curiâ, et ità sit reus tutus in toto debito sortis et usurarum, ipso tamen jurante sè sortem solvisse. Si verò jurare noluerit, non sit in aliquo quoad sortem tutus; si verò debitor cum juramento vel sinè juramento, elapso termino, confiteatur se adhuc debere debitum vel partem, nihilominùs sit tutus quoad usuras tantùm. Et hæc ad futura negocia sive instrumenta extenduntur. De prædictis verò instrumentis statuerunt quod de cætero non valeant à tempore publicationis hujus statuti, elapso biennio, nisi medio tempore in curiâ esset querimonia deposita coràm debitore, ut suprà dictum est. Scilicet hoc statutum et infrà omnia statuta habent locum in judicaturâ Aquensi et Brinoniæ et Sancti Maximini, et inter eos qui sunt infra eorumdem judicaturam. Si verò principalis debitor esset alienæ judicaturæ, et fidejussores et mandatores et constitutores essent prædictarum judicaturarum et extendatur hoc statutum ad dictos fidejussores et mandatores.

Idem.

Item, post hoc, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Idibus septembris, dominus comes voluit et concessit Judeis, quòd præsens statutum nullum prejudicium eis generaret, durante tempore guerræ. Posteà verò statim pace factâ, dictum statutum suum robur obtinere debeat.

Item de eodem.

Item, post hoc, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Idibus septembris, dominus comes voluit et concessit Judeis quòd præsens statutum (nullum) prejudicium eis generaret ab hodiè usque ad tres annos continuos et completos. Posteà verò statim dictum statutum incipiat suum robur habere, in omnibus, in civitate Aquensi et non in aliis.

De usuris quæ lucrari debent.

Statuimus quòd Judei possint usuras quinque denariorum pro

librâ, quolibet mense, recipere, quantuncunque quantitatis fuerit debitum, et non ultrà, tàm à principali debitore quàm à fidejussore vel mandatore vel constitutore; et ipsi Judei de usuris alias usuras non recipiant, nec etiam stipulentur: quòd si fecerint, deindè integrè usuram amittant et si hoc ultimum ad futurum tempus, tamen et hoc secundum statutum ad præteritos, præsentes et futuros contractus extenditur.

De Cessione bonorum, et quòd bona debitoris primò excussiantur quàm bona fidejussoris.

Statuimus quòd si fidejussores aliqui sint vel fuerint qui renunciaverint novæ epistolæ divi Adriani, vel novæ constitutioni, vel etiam constitutores vel mandatores, et oporteat ex necessitate bonis cedere, vel bona sua tradere in solutum creditoribus, quia non habent venalia undè reficiant vel undè possint habere denarios, si debitores pro solvendo inveniantur non habitâ ratione ne egeant, non obest predicta renunciatio; scilicet bona debitorum primò distrahantur, vel in solutum dentur creditoribus, quàm bona prædictorum fidejussorum vel mandatorum vel cæterorum, et hoc si confiteantur debitum, et nullam exceptionem obtineant, quâ se tueri possint. Si tamen bona debitoris non sufficiant, habeatur recursus ad bona fidejussoris, seu constitutoris vel mandatoris.

Quòd judex arbitrio suo possit arctare xxx *dies, qui condempnatis dari consueverunt.*

Statuimus quòd judex arbitrio suo possit arctare xxx dies qui in hâc curiâ dari consueti sunt condemnatis, inspectâ personâ debitoris et creditoris et inspectâ quantitate debiti.

De condemnatis quòd teneant hostagia.

Statuimus quòd si quis condemnatus fuerit et vocatus à curiâ ut detineatur vel debeat tenere hostagia ad præceptum judicis, et si quis tenens hostagia recesserit ab hostagiis sine licentiâ judicis vel baiuli vel alicujus officialis istius curiæ, solvat curiæ duos solidos, si non juraverit tenere hostagia. Si verò juraverit, solvat x solidos pro pœna, et hæc eadem pœna imponenda erit cuilibet sæpè et sæpiùs qui contrà mandatum et præceptum judicis vel curiæ fecerit.

Quòd judex possit de maleficiis et damnis datis inquirere.

Statuimus quòd judex ex officio suo possit de maleficiis et damnis omnibus datis inquirere et punire et quoad justiciam curiæ applicandam et etiam quoad emendam faciendam damnum passo. Et hoc quod dictum est de emendâ faciendâ, judex ex necessitate facere teneatur, denunciatione tamen priùs factâ ab illo qui passus est, persecutione pœnæ salvâ permanente ei qui denuntiaverit, licet ad suam denunciationem curia punierit. Et hoc statutum etiam ad preterita extenditur.

Quòd judex possit inquirere de injuriis descendentibus ex lege Corneliâ.

Statuimus quòd, sinè denunciatione, judex officio suo inquirere possit et punire, quoad curiam tamen, de injuriis descendentibus ex lege Corneliâ. Ubi verò curia punit aliquem, scilicet de injuriâ descendente e lege Corneliâ, ad denunciationem alicujus passi injurias, non possit qui denunciavit posteà agere injuriam.

Quòd judex possit deferre jusjurandum usque ad centum solidos.

Statuimus quòd judex possit deferre jusjurandum usque ad centum solidos, inspectâ qualitate personæ, rei, et actoris, et etiam testium, et aliarum præsumptionum si quæ in causâ fuerint.

De eo qui fecit reclamationem, in quo curiæ solvere teneatur.

Statuimus quòd si quis fecerit querimoniam suam scribi in cartulario curiæ, et posteà nolit querimoniam suam persequi : si desierit, nullâ compositione factâ cum adversario, solvat pro justiciâ XII denarios pro librâ, si adversarium suum fecerit ad curiam venire. Alias verò tantùm VI denarios pro librâ. Si venit adversarius, nec facit scribi in cartulario, nihil solvat. Scriptum verò intelligimus quandò libellus porrectus est, vel solùm petitio scripta in cartulario de actis fuerit vel in cartulario saltim clavarico ad petitionem saltem conquerentis.

Quantùm detur nunciis curiæ.

Statuimus quòd nuncius curiæ habeat, pro querendo quemlibet hominem ob hoc ut veniat ad curiam ad instanciam alicujus, ab illo qui alterum facit venire, habeat unum denarium, et hoc in hâc villâ et

burgo. Si verò quereret ad villam archiepiscopi, habeat duos denarios. Nuncius verò tàmdiù illum hominem querat in hac villâ et burgo pro uno denario, et in villâ archiepiscopi pro duobus denariis, ut suprà dictum est, quousque eum curiæ presentaverit semel.

Quòd litigantes prope sententiam dent pignora ad cognitionem judicis vel clavarii.

Statuimus quòd litigantes in curiâ, dent pignora curiæ pro justiciis causarum, ad arbitrium judicis vel clavarii, et hoc prope sententiam, cùm fuerint requisiti. Curia verò teneatur expectare illos qui dederunt pignora per xxx dies numerandos à tempore sententiæ latæ; nec medio tempore possit distrahere pignora, elapso verò illo spacio possit ea distrahere vel obligare prout voluerit et usque ad quantitatem justiciæ debitæ, ille cujus erunt pignora; posteà à curia pignoris alii obligati usuras solvere teneatur, scilicet illi cui fuerint obligati. Si tamen curiâ distraxerit pignora solvat sibi justicia, residuum restituat illi cujus erunt pignora.

Quòd de xx *solidis non detur libellus.*

Statuimus quòd de xx solidis et infrà non teneatur aliquis libellum porrigere.

De femoraciis inhibendis.

Statuimus ne aliquis faciat femoracium in viis rectis intra villam (et) compita, nec extrà in stratis publicis prope portas civitatis per tractum balistæ; nec etiam ultrà, ità ut vias publicas non destruant, vel etiam impediant, apponendo fimum, vel etiam removendo terram propter fimum apponendum, vel propter aliquod aliud faciendum. Quod si quis contra hoc statutum fecerit femoracium, de cætero pro pœnâ pro quolibet die xii denarios solvat curiæ. Qui verò destruxerit viam, eam reficiat. Hoc tamen addiderunt quòd si quis de stabulo suo fimum in viâ publicâ posuerit, primâ die et secundâ nihil solvat, si tamen tertiâ die eum faciat ad terram suam vel ad vineam deportari, sive de viâ publicâ removeri. Item addiderunt quòd si quis ante domum suam lutum habeat et paleas ibi apposuerit causâ removendi eumdem lutum, sive causâ desiccandi sive putrefaciendi dictas paleas, nihil primâ die et secundâ solvat, si tamen tertiâ die per totam diem eas removeat.

De Auuantis quæ sunt antè portam.

Statuimus quòd si quis faciat auuantum super domum suam, sive ante domum suam, super viam publicam, et rectum sit spacium XIIII palmarum à solo viæ publicæ usque ad dictum auuantum vel unius cannæ et dimidiæ ad minùs.

De Punitione illorum qui ponunt ignem.

Statuimus quòd si quis in aliquo loco ignem apposuerit et damnum dederit in grangiis vel etiam aliquo alio loco, damnum emendet, et ultrà curia possit eum ex officio prout justum videbitur punire, sive violentiam imponere.

De Frumento loco usurarum.

Statuimus quòd si quis Judæus fuerit stipulatus ab aliquo aliquam messem loco usurarum (et) suprà dictum frumentum sive messis, tempore condemnationis, valeat ultra usuras suprà in alio statuto concessas, liberetur debitor solvendo usuras V denarios pro librâ.

Quòd Fidejussor non teneat hostagia, si principalis sit presens.

Statuimus quòd fidejussor seu constitutor non teneat hostagia pro debito alicujus, si principalis sit presens pro solvendo et confiteatur debitum et nullam exceptionem opponat quâ se tueri possit. Sed ipse principalis teneat hostagia, si hoc fidejussor vel constitutor requirat, loco fidejussoris vel constitutoris.

De Bonis offerendis.

Statuimus quòd si quis non solverit debitum in termino sibi dato à curiâ, si vult offerre bona sua omnia cum juramento, quòd non teneatur tenere hostagia. Si verò non vult offerre bona sua vel bona non habeat quæ offerat, teneat hostagia ad cognitionem judicis. Idem dicendum est, et si non offerat omnia bona sua, cum juraverit, si celat bona sua et nihilominùs pœna scilicet X solidorum perjurii contrà eum locum habeat. Et hæc quæ dicta sunt de oblatione bonorum faciendâ, intelligenda sunt, si offerat bona quæ ipse habet in eodem territorio, cùm ipsi duo scilicet reus et actor sunt ejusdem loci. Elapso verò mense à tempore quo inceperit tenere hoc-

tagia, sive tenuerit hostagia, sive ea fregerit, in quo casu etiam non lapso mense habeat quod sequitur, si creditor vult bona debitoris recipere in solutum, recipiat ea pro modo debiti, arbitrio judicis, seu curiæ, et invito debitore, nec aliud pro debito satisfaciat.

Quòd Massalienses conveniantur Aquis, si reperiantur in comitatibus.

Statuimus quòd Massalienses cives conveniantur Aquis et in bajuliâ si ibi reperiantur, sive contraxerint, sive non.

Quòd litis contestatio valeat semel oblato libello.

Statuimus quòd si quis litem contestatus fuerit, sine libelli petitione, quòd posteà non possit libellum petere, ex quo litem fuerit contestatus, de quòd valeat processus habitus cum eo, ac si ei libellus à principio porrectus sollemnitas antè observata fuisset.

De emendandis damnis furtivè datis.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, decimo kalendas januarii, statuit dominus Raymundus Berengarii comes de marchio Provinciæ et comes Forcalquerii per totam bajuliam Aquensem et Brinoniæ: quòd si contingerit in aliquo loco vel in territorio dictæ bajuliæ Aquensis et Brinoniæ, aliquod damnum inferre alicui, ignem mittendo vel arbores talando et vineas depopulare, animalia seu bestias interficiendo clàm vel occultè, quòd totus locus et universitas ubi damnum esset datum teneatur restituere et emendare, pro facultate rerum suarum, damnum passo vel passæ totum damnum eis illatum, ut suprà dicitur, factâ priùs extimatione damni dati ab extimatoribus, nullâ factà distinctione personarum. Omnes habitatores dicti loci conferant in dicto damno restituendo, si tamen non possint inveniri damna inferentes. Et quòd curia loci vel territorii in quo dampnum fuerit datum, ut suprà dicitur, possit inquirere per officium, prout sibi videbitur inquirendum. De prædictis damnis illatis, excipimus lata cum bestiis, pascendo facta et latrocinia et furta herbeiando facta, cùm sint banno punienda.

Quorum est cura edilium emendandorum.

Ediles curtiles studeant eas quæ secundùm civitates sunt vias ut undiquè adequentur et effluctiones, id est aquarum fluctus, ne noceant

hominibus, et pontem faciant ubicumquè oportet. Studeant autem ut proprii parietes et aliorum aliqua quæ circa domos quæ ad viam ducunt non labilia sint, id est non ruinosa sint. Si autem non emendaverint neque construxerint, molestent eos qui labilia faciant. Curam autem habeant ut nullus effodiat vias, neque subruat neque construat in viis aliquid. Si autem servus quidam vel vias effodiens, subruens vel in eis aliquid construens fuerit, ab obviante id est itinerante fustigetur. Liber autem demonstretur edilibus. Ediles autem damnificent id est puniant illum liberum secundùm legem et quod factum est dissolvant. Construant autem vias publicas secundùm propriam domum unusquisque, et aquæ ductus purget et construat dominus; ipsi construentes computent dispendium in mercede, id est sumptus factos in constructo. Studeant autem ut antè ergasteria, id est operatoria nihil projectum sit, præterquàm si fullo vestimenta siccet, quæ lanavit, terxit, polivit, superflua elevando talis dictus fullo, aut retronchos exteriùs ponat. Ponant autem et hii ut non prohibeant..... id est rotas quibus vehuntur ligna; idem similibus vehiculis ire. Non permittant autem rixari in viis, neque stercora projicere, neque morticina neque coria jacere.

SEQUUNTUR ORDINATIONES ET STATUTA

FACTA

PER DOMINUM CAROLUM PRIMUM,

TUNC COMITEM PROVINCIÆ, SUPER OFFICIALIBUS.

Statuimus, et ità subaudias in quolibet statuto, primo quod specialiter bonus Senescallus, et judex major, legalis et justus et alii officiales similiter, prout minùs mali, sive meliores inveniri poterunt ordinentur, nec constituatur aliquis malæ famæ. Item, quod ter in anno fiat parlamentum, semel Dignæ, semel Draguignani, semel Aquis in comitatu Provinciæ et in comitatu Forcalquerii, apud Forcalquerium semel in anno specialiter, pro communi statu terræ, per Senescallum. Et dominus Rex eligat sibi consiliarios, scilicet quos voluerit, de

quorum consilio et assensu, officialium inferiorum delicta sive excessus, si qui reperti fuerint, Senescallus corrigat et emendet, diffiniendo in parlamento si fieri potest; ità tamen quod ad parlamentum conveniant illi qui habent querelas contrà officiales de quibus conquerentur, à tempore isto usque ad tempus illud et in futurum. Item quod Senescallo, bajulis, judicibus, clavariis, salaria assignentur quibus sint contenti et nihil ultrà recipiant à subditis, et hoc teneatur servare quilibet proprio juramento. Et si contrà venerint aliqui secundùm quod in jure cautum est puniantur. Item quod nullus officialis recipiat in se compromissum aliquod à subditis, nisi ad expediendum partes amicabiliter, prout in jure. Cavetur et tunc à partibus nihil ob hoc exigat vel recipiat, excepto dato à curiâ. Item quod nullus bajulus vel alius officialis inferior aliquam condemnationem sive exactionem, occasione alicujus fore facti, faciat sine judice. Item quod nullus penam sive mulctam imponat, nisi senescallus, judex vel bajulus, vel de speciali mandato suo; nec imposita levetur sive exigatur nisi permissa per judicem condemnatione. Item quod senescallus vel aliquis alius officialis inferior, non petat, nec peti faciat beneficium ecclesiasticum pro aliquo consanguineo vel familiare suo beneficiando, nisi de licenciâ domini Regis. Item quod nullus ejiciatur de possessione suâ vel quasi sine causæ cognitione judiciali, salvo eo quod si curia denunciaret alicui, quod emisset vel aliter acquisivissset sinè consensu domini, et assignato eidem termino infra quem probet consensum vel solutionem census, vel non solvisset censum debitum. Item quod nullus condemnetur non vocatus nec citatus ad domum vel voce preconis; et cuilibet, contra quem fit inquisitio, fiat copia inquisitionis; et cuilibet deffensio legitima reservetur si est justa, et de nominibus sive dictis et de dictis sive nominibus fiat copia. Item quod nullus judex vel bajulus maior constituatur in loco undè originem duxit vel ubi domicilium habet, sinè speciali licentiâ domini Regis. Item quod causæ peregrinorum et pauperum miserabilium expediantur purè et per simplex judicis officium, et sinè strepitu judicii et figurâ; et in aliis ordo judiciarius observetur, et pauperes sinè latâ et dispendio expendio expediantur. Qui autem pauperes dicantur arbitrio judicis relinquatur. Item quod judex teneatur bis in die reddere jus, et in publico, sedendo pro tribunali, comparere horis et locis et diebus et temporibus consuetis. Item quod nullus bajulus vel clavarius, vel alius, faciat fieri pignorationes sinè judice, et, justâ causâ interveniente, hoc fiat vel faciat. Itemque quod nullos milites vel domicellos pignorat

infra hospicium suum, quamdiù vellent sufficienter cavere; nec aliquo modo uxor sua, vel alia nobilis in puerperio jacens, scilicet de raubâ lecti sui vel vestimentorum suorum pignoretur. Item quod homines alicujus militis non pignorentur occasione debiti vel delicti domini, nisi invenirentur obligati, vel in culpâ, vel usquè ad quantitatem vel jus in quo domino tenerentur. Istud dimittatur in arbitrio senescalli. Item quod nullus judex ponatur bajulo vel officiali, nec detur alicui talis potestas in aliquem christianum; consilarii possunt esse officialium. Item quod curia ad requisitionem domini juvet ipsum ad compellendos subjectos super fermancia facienda in manibus domini sui, si qui sunt accusati subjecti et inquisiti super aliquâ causâ criminali vel civili et nolunt fide jubere, salvo jure curiæ in omnibus. Item quod dominus vel senescallus ponat officiales omnes, ità tamen quòd senescallus nullum officialem ponat de genere suo sine speciali licentiâ domini Regis. Item quod super novitatibus et injuriis factis in comitatu Provinciæ et Forcalquerii, à tempore domini Regis qui tunc erat comes citrà, fiat inquisitio per aliquos honestos viros, et ea quæ invenerint facta in quibus vertitur mortale peccatum competenter emendentur. Item quod nullus bajulus ponatur in aliquo castro in quo dominus Rex ad manum suam nullam tenet proprietatem; positus autem in castris in quibus habet proprietatem, sit contentus proprietate et ad ipsam pertinentibus, nec extendat manum ad jura pareriorum sive militum, nec de novo occupet aliquid quod possideant vel quasi, sinè cognitione judiciariâ nisi domino regi vel senescallo videretur aliquid statuendum. Item quod bajulus et clavarius capitum bajuliarum, de omnibus receptis quibuscunque et ex quacunque causâ fiat, faciat fieri scripturam per notarium curiæ; ità quòd notarius ponat omnia suprà dicta in cartulario speciali, ponendo personam et causam et diem et annum; et si prædicta, infra hebdomadam post receptionem annumerandam ipsam, notarius curiæ non manifestaverit, tanquàm fur puniatur. Et notarius quolibet mense veniat ad computum cum suo judice, et faciat summam de receptis, infra mensem, et summa ipsius mensis de receptis cujuslibet ponatur per manum ejusdem notarii in quodam cartulario, quod custodiat ad hoc specialiter deputatus. Et judex eandem summam ponat de manu suâ in cartulario notarii. Et bajulus habeat cartularium suum quo similiter omnia faciat scribi. Item quod omnes etiam bajuli et subbajuli omnia recepta faciant poni in cartulario per manum publicam et in adventu judicis sibi omnia revelentur, et fiat indè summa quæ

ponatur in cartulario judicis ut suprà et clavarii et bajuli. Supradicta omnia intelliguntur salvo in omnibus jure domini Regis et dominæ Reginæ uxoris ejus et heredum suorum, et salvâ voluntate dicti domini Regis et senescalli sui, si fortè videretur eisdem aliter observandum; salvis hiis quæ prohibita sunt, specialiter senescallo.

SEQUUNTUR STATUTA

DOMINI CAROLI SECUNDI REGIS.

Statuimus quòd nullus sit disazitus de aliquâ re, quam teneat, nisi priùs cognoscatur de jure vel auctoritate judicis, vel, per defectum, per talem per quem debeat disaziri, et quod auctoritas judicis scribatur antequàm tenens sit disazitus. Item quod judices faciant condemnationes secundùm monetam quæ currit in terrâ ubi condemnationes fient, et quòd habeant respectum ad delictum et monetam; item semper statui quòd nullus officialis qui habeat vadia domini regis mercandare audeat.

Ne uxorati teneant concubinas.

Quia pudicè nobis per omnia pertinet vivere, interdicimus omnibus et singulis uxores habentibus, habere, vel tenere concubinas in domo secum, vel etiam extra domum. Qui verò contrà fecerit, si quidem burgensis, vel nobilis fuerit decem, si plebeius quinque marchas argenti fini, pœnæ nomine, solvere compellatur. Cujus pœnæ decima pars detur ei qui detulerit, residuum sit curiæ temporali; et si quis pœnam prædictam solvere non poterit, ponatur die dominicâ, horâ primâ, publicè, in castello et ibidem usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes à similibus arceantur. Si quis autem postquàm prædictam pœnam pecuniariam solverit vel corporaliter sustinuerit, concubinam ipsam habere presumpserit, sicut priùs, pœnam prædictam pecuniariam vel corporalem, iterùm subire cogatur; et sic deinceps, quàmdiù in eodem peccato permanserit, teneatur totiens quotiens in eodem peccato deprehensus fuerit, ut est dictum, ut, pœnâ docente, discat castè vivere, non autem delectare vel amare illicita, divinoque atque nostro

beneplacito repugnare. Ipsæ verò concubinæ pœnâ per omnia consimili imminente, delicto etiam æquali, proximas eis consimiles pœnas imminere justum reputamus.

Statutum ne bis idem debitum petatur.

Volentes quantùm possumus illorum fraudibus obviare, qui lucris illicitis inhiantes, contra bonam fidem, bis idem debitum exigere moliuntur, statuimus ut mandamenta judicialia, vel qualibet alia instrumenta de quocumque debito facienda, si à tempore ultimi debiti, solutione ejusdem debiti non factâ, in jure et querellâ, vel postquàm desierit creditor in curiâ litigare seu conqueri triennium transierit, nullius firmitatis existant, nec debitum in talibus mandamentis vel instrumentis descriptum exigatur; et tunc vel aliqua ipsius pro ipso compensatio, exceptio vel receptio concedatur, nisi infrà triennium mandamentum, vel instrumenta prædicta fuerint renovata. Hoc autem in mandamentis de cætero faciendis, et etiam jam factis seu receptis, si tamen solutionis debiti in eis descripti terminus ultimus venerit, locum habere sanximus, ut tamen in hujus mandamentis vel instrumentis quorum ultimus terminus jam transiit, incipiat terminum computari ab eo tempore quo presens nostra constitutio fuerit publicata. Si pro causis temporalibus cogitamus, multò magis pro animarum salute providentia est nostræ sollicitudinis adhibenda.

Ne Judei habeant nuncium christianum, vel pedisecam, vel nutricem.

Absurdum est ut blasphemus Christi Judeus imperet orthodoxis, aut in christianos vim alicujus exerceat potestatis; undè districtiùs inhibemus Judeos cujuscumque sexus habere nutricem vel ancillam seu pedisecam christianam, vel nuncium aliquem christianum. Christiani verò seu christiana non presumant se subjicere Judeis, modo aliquo prædictorum.

Ne Judei exerceant officium curiæ.

Prætereà sanximus neminem Judeorum quodcumque publicum officium cujuscumque curiæ administrare, vel gerere, occasione cujus possit in christianos aliquam potestatem publicam exercere. Qui verò contra nostram præsentem constitutionem personam christianam tenere, vel habere cum Judeis, ut nutrix vel pediseca, vel etiam ut nuncius moram facere, vel aliquod officium gerere, vel administrare presumpse-

rit, duas marchas argenti fini curiæ temporali solvere teneatur. Et si quis pœnam prædictam solvere non poterit, ponatur quatuor diebus dominicis publicè in castello, et ibidem, quâlibet vice, usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes à similibus arceantur. Si quis autem postquàm prædictam pœnam pecuniariam solverit vel corporalem sustinuerit, presentem nostram constitutionem in aliquâ sui parte, iterùm violare presumpserit, sicut priùs pœnam prædictam pecuniariam vel corporalem, iterùm subire cogatur, et sic deinceps quamdiù in eodem delicto deprehensus fuerit, ut est dictum. Ille verò qui aliquod de prædictis officiis gerendum vel administrandum alicui Judeo tradere visus fuerit, quatuor marchas argenti fini pœnæ nomine teneatur solvere. In omnibus autem casibus qui in prædictis omnibus et singulis constitutionibus continentur, volumus procedi ad veritatem, exactionem et delinquentium coercitionem per simplex officium judicis competentis et sinè strepitu judicii et figurâ. Per premissas autem constitutiones non intendimus derogari aliis pœnis legalibus quæ premissis causis delinquentibus imponuntur. Volumus etiam, presenti edicto in perpetuum valituro sanximus, quòd pœnæ omnes pecuniariæ contrà transgressores, in prescriptis constitutionibus, constitutæ et stabilitæ, quarum delatio et exactio ad nostram pertinebat curiam, ad eleemosinarium nostrum debeant pervenire, per eum pauperibus eroganda. De aliis verò quarum delatio et exactio ad eamdem curiam immediate non pertinet, fiat juxta provisionem eorum ad quos pervenire debeant et pertinere noscuntur. Quæ igitur placuit nobis et per prædictas constitutiones nostras salubriter sunt sanxita, faciat tam presens senescallus in noticiam omnium subditorum dictorum comitatuum pervenire, et ea tam tu presens quàm vos alii futuri studeatis efficaciter observari, ac per alios subditos nostros, prout pertinebat ad juridictionem cujuslibet, facere observari. Datum Aquis, anno Domini MCCXC die octava februarii, septimâ indictione, regnorum nostrorum anno quinto. Ipsius igitur auctoritate mandati, vobis omnibus et singulis districtè præcipiendo mandamus quatenùs prædictas constitutiones regias faciatis singuli vestrûm ad subditorum nostrorum omnium audientiam pervenire, easque tàm vos presentes quàm alii futuri sinè corruptione faciatis servare, ac per alios subditos dicti domini regis, prout pertinebit ad juridictionem cujuslibet, facere inviolabiliter observare; facientes totam pecuniam, propter transgressionem dictarum constitutionum perventarum, domino procuratori regio, vel ad hoc constituendo, per eum integraliter assignari, juxta ordinationem regiam

suprà scriptam, in eleemosinam majoris curiæ regiæ convertendam. Præsentes autem litteras per vestrùm quemlibet latori ipsarum, postquàm in cartulario curiæ per manum publicam notatæ fuerint, restitui volumus et sigilli curiæ nostræ in iisdem apponi, in signum mandati fideliter exsequti. Datum Dignæ, anno quo suprà, die nona septembris. Item posteà publicè fuerunt publicata Aquis.

Quòd curia secularis potest capere bona excommunicatorum si infra annum non sunt absoluti.

Si pro causis temporalibus cogitamus, multò magis pro animarum salute providentia nostræ sollicitudinis adhibenda. Quia igitur nonnulli insolentes excommunicationis, sententiam quæ medicinalis est, si contempta non fuerit, in animarum suarum dispendium vilipendunt, idcircò ne culpam facientis videamus incurrere quam habet ille qui quod potest corrigere negligit emendare, statuimus ut si quis de cætero excommunicationis sententiam latam à jure, postquàm legitimè monitus fuerit, per aliquem archiepiscopum vel episcopum terræ nostræ, vel de ipsius expresso et speciali mandato publicatam vel promulgatam in ipsum, ritè et legitimè, per aliquem archiepiscoporum vel episcoporum prædictorum, et legitimè publicatam sustinuerit per annum, animo indurato, bona omnia ipsius capiantur per curiam secularem cui fuerit ille subjectus, tenenda per ipsam donec fuerit absolutus.

Ut excommunicatus publica officia exercere non presumat et officiales seculares processum judicibus ecclesiasticis per pœnarum impositionem non turbent, sed auxilientur eisdem.

Item, quia cum illis quos sacrosancta vetat ecclesia, nulla nobis communio esse debeat, statuimus quòd nullus excommunicatus à jure vel ab homine de cujus excommunicatione sit curia debito modo certa, recipiatur ad aliquod publicum officium pro aliquâ temporali curiâ exercendum; et si quis publicorum officialium sententiam excommunicationis incurrerit, et de hoc fuerit curia modo debito certa, non permittatur officium exercere donec fuerit absolutus. Cùm spiritualis et secularis potestas sibi invicem non repugnent, sed mutuò sese coadjuvant, est consonantia quædam bona, omne quidquid est utile humano conferens generi; quapropter præcipimus quòd nullus officialium nostrorum juridictionem vel processum spiritualis judicis

ecclesiastici audeat, pœnarum impositionibus seu præconisationibus vel aliter, indebitè impedire. Quinimò per judices ecclesiasticos in spiritualibus requisiti, præstent ipsis, prout jura volunt, auxilium brachii sæcularis. Qui verò, impediendo prædictam juridictionem, vel processum spiritualem, vel non præstando, ut est dictum, auxilium brachii sæcularis, presens statutum violare presumpserit, unam marcham argenti fini pro pœnâ nostræ curiæ quâlibet vice cogatur inferre.

Ne laïci portent tonsuram in formâ clericalis tonsuræ.

Prohibemus etiam ne aliquis laïcus tonsuram vel rasuram capitis, factam in formâ seu figurâ tonsuræ seu coronæ clericalis, audeat, quâcunque causâ vel occasione, portare : cùm hoc tàm jura quàm honestas repugnent, et sit perniciosum exemplo. Qui verò contrà fecerit unam marcham argenti curiæ temporali solvere pœnæ nomine compellatur. Et si quis pœnam prædictam solvere non poterit ponatur die dominica, horâ primâ, publicè, in castello et ibidem usque ad horam comestionis teneatur, ut alii hoc videntes à similibus arceantur. Si quis autem, postquàm pœnam prædictam pecuniariam vel corporalem sustinuerit, tonsuram vel rasuram portare presumpserit, sicut priùs, pœnam prædictam pecuniariam vel corporalem iterùm subire cogatur. Et sic deinceps, quamdiù in eodem delicto permanserit, pœna prædicta coerceatur, totiens quotiens in eodem delicto deprehensus fuérit, ut est dictum.

Ne officiales possint aliquid emere.

Item, quòd redditus castrorum vendantur, retentis justiciis et trezenis, tali modo quòd nullus serviens, nec bajulus, judex, nec castellanus, neque senescallus, nec aliquis qui habeat vadia regis, possit nec debeat indè aliquid emere.

Contra illos qui non colunt festa.

Item, quia quidam dies dominicas et alia festa quæ per ecclesiam inducuntur et sunt ipso jure inducta, presumunt temerè violare, opera prohibita faciendo, statuimus quòd quicunque talis inventus fuerit XIII denarios regales coronatos, pœnæ nomine, solvere teneatur, quorum denariorum sex denarii sunt curiæ temporalis, et sex alii parrochialis ecclesiæ, et unus exsequtoris curiæ per quem fiet exactio hujus pœnæ.

Qualiter quilibet vel una persona vadat ad ecclesiam diebus dominicis et qualiter puniatur qui facit contrarium.

Hortamur et præcipimus quòd omnes qui nobis sunt immediatè vel mediatè subjecti veniant ad ecclesiam et ibi divinum officium et mandamenta ecclesiæ audiant et suscipiant, ut tenentur; et specialiter statuimus quòd omni die dominicâ veniat ad ecclesiam parrochialem unâ saltem persona de quâlibet domo et in ipsâ ecclesiâ missam et mandamenta ecclesiæ audiat reverenter. Si verò contingerit ut die dominica non venerit saltem una persona de quâlibet domo, ut est dictum, dominus vel domina illius domûs XIII denarios regalium coronatorum, pro pœnâ, solvere teneatur, nisi excusâ necessitatis se valuerint excusare, quorum denariorum sex sint curiæ temporalis, et sex alii parrochialis ecclesiæ, et unus exsequtoris curiæ per quem fiet exsequtio hujus pœnæ.

LITTERA

ILLUSTRISSIMI DOMINI CAROLI SECUNDI,

DEI GRATIA

REGIS JHERUSALEM ET SICILIÆ.

Ubi pecunia convertatur illorum qui operantur diebus festivis et tenent concubinas.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, die secundâ junii, litera cujus tenor talis est presentata fuit per Johannetum Martini in Castro Despitello.

Carolus secundus Dei gratiâ rex Jherusalem et Siciliæ, ducatus Apuliæ, et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii comes, Senescallo, vicariis, bajulio, judicibus, cæterisque tàm officialibus quàm aliis per comitatus Provinciæ et Forcalquerii constitutis, tàm presentibus quàm futuris fidelibus suis, gratam suam et bonam voluntatem. Olim, de subditorum nostrorum in prædictis comitatibus honestâ vitâ, dominicâ vigilatione agentes, ut vita ipsorum accepta

esset hominibus et Deo grata, inter alia statuisse meminimus eosdem subditos christianos et christianas, scilicet ecclesia subscripta, sub determinatione diversarum pœnarum, pro diversitate criminum, nostræ curiæ applicandarum, vivere modo sub scripto : Videlicet quòd singulis diebus dominicis et festivis, quos sancta mater ecclesia sollemnia indicit, quilibet christianus ab operibus vetitis prorsùs abstinere, nec ipsorum dierum sollemnitates, alias celebres celebriis, turpibus actibus maculare presumat. Hortantes etiam et mandantes ut omnes, in diebus hujus modi, una saltem persona de domo quâlibet ad ecclesiam veneranter accedant, divinum officium ibi auditura et mandata ecclesiastica subitura. Statuimus insuper, ne aliquis laïcus tonsuram vel rasuram capitis, ad formam clericalis coronationis defferat, veluti tàm juri quàm honestati repugnant. Cæterùm, decernentes absurdum Judæos Christi blasphemos in christianos habere imperium et auctoritatem mandandi, vetuimus quòd nullus Judæus haberet christianam nutricem Judæorum infantum, nec sexûs alterutrius quomodo libet servitorem. Item detestabile tenentes et pravum quòd quis accipiat in vanum nomen Domini nostri, statuimus perjuros omnes, secundùm diversitatem personarum, diversâ pœnâ plectendos. Insuper in decore pudiciciæ delectari ediximus, inhibentes quòd nullus in domo secum vel extra domum tenere presumat coucubinas. Verùm quia dignum fore conspicimus quòd obventiones pœnarum quæ perveniunt de dictis criminibus, cedant in honorem et laudem Domini qui offenditur in peccatis, statuimus ad beneplacitum nostrum et vestrum cuilibet præcipiendo mandamus, quatenùs quidquid ex premissis excessibus et quomodolibet premissorum, nomine pœnæ, juxta statuta nostra debet ad curiam nostram pervenire, religioso viro fratri Petro de ordine predicatorum, eleemosinario nostro, aut ejus procuratori, seu nuncio, solvere et assignare curetis, per eum in eleemosinis convertendam. Et quia prædictum statutum contra perjuros et concubinarios sic est compendiosè contextum quòd ipsius brevitas posset aliquibus nubilum dubietatis ingerere: declarando decrevimus inter perjuros quòd dictum statutum complectitur contineri: continentes etiam perjuros qui suis creditoribus, pro creditis solvendis, aut aliis eorum conventionibus adimplendis, jurant ad sancta Dei evangelia, post lapsum certorum terminorum in certis locis tenere hostagia, et contra hujusmodi eorum juramentum venire presumunt. Item concubinarios etiam de quibus facit præscriptum capitulum mentionem astringi et contineri volumus omnes et singulos adulteros qui semel aut pluriès in-

tercipientur aut convenientur adulterium commisisse, quorum adulterorum pecuniaria pœna, si quæ debetur, curiæ nostræ commodis applicari, ad prædictam eleemosinam deportetur, et præfato eleemosinario nostro, seu ejus nuncio propterea tribuatur. Datum Aquis, anno Domini MCCXCVIII, die XI mensis februarii, XI indictione, regnorum nostrorum anno XIV.

DECLARATIO SANCTA.

Carolus, etc., bonam voluntatem, etc. Olim deliberatione consultâ in comitatibus nostris prædictis, inter alias constitutiones, ediximus continentiæ sequenti, volentes quantùm possumus illorum fraudibus obviare quæ lucris (illicitis) et superiùs usquè renovantur; ut autem nulla de præmissis dubietas oriatur, quæ velut relatibus fide dignis accepimus, nonnullos ex fidelibus nostris eorumdem comitatuum minùs debite discriminosè vexant, præsentibus declaramus, volumus et expressè jubemus, quòd dicti triennii spatium de quo in eâdem constitutione fit mentio ad eos dumtaxat qui diffamati fuerunt, sunt vel erunt, quòd (qui) bis idem quodcunque debitum, conscientiæ laxatis habenis, propterea conantur exigere intelligent extendi. Quarè vobis universis et singulis sub obtentu gratiæ nostræ, præsentium tenore, districtè præcipimus quatenùs dictam constitutionem nostram, sub triennii spatium in eâ contentum, juxta declarationem nostram hujus intelligere de cætero habeatis. Præsentes autem nostræ declarationis originales litteras, postquàm earum transcriptum quicunque vestrûm ad quem ipsas contingerit in publicam formam redigi fecerit, ad cautelam petentis cujuslibet, cujus interesse noscitur tradi et exhiberi, mandamus efficaciter in anteà ad vestrum singulos valituras. Datum Brinoniæ, anno Domini MCCXCVII, die duodecima augusti, decimâ indictione, regnorum nostrorum anno decimo tertio.

LITTERA

HUGONIS DE VICINIS SENESCALLI PROVINCIÆ.

Hugo de Vicinis miles, Provinciæ et Forcalquerii senescallus, vicario et judici Tarasconis, et eorum alteri, salutem et amorem sincerum, litteras sacræ regiæ majestatis Jherusalem et Siciliæ nos de novo recepisse noveritis, formam hujus continentes :

LITTERA DOMINI CAROLI SECUNDI REGIS.

Carolus secundus, Dei gratiâ rex Jherusalem et Siciliæ, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii comes, senescallo Provinciæ, presentibus et futuris fidelibus suis, gratam suam et bonam voluntatem. Decet regalem providentiam ità reipublicæ curam gerere, et investigare commoda subditorum, ut sublatis, prout est possibile, maliciosis adinventionibus quibuscunque, publica utilitas incorrupta permaneat, et singulorum status jugiter servetur illæsus. Sanè fide digno relatu plurium intelleximus quòd nonnulli propriis commodis in aliorum præjudicium inhiantes, possessiones et jura in comitatibus nostris Provinciæ et Forcalquerii, et terris aliis covicinis nostro subjectis dominio constituta, quæ non possunt titulo venditionis vel alio consimili, sine curiæ nostræ vel consensu, transferri, et pro quibus præstandum est trezenum seu laudimium curiæ nostræ vel aliis, cùm possessiones ipsæ, vel jura venditionis, vel alio consimili transferruntur, presumunt concedere seu transferre sine consensu prædicto et nullo præstito laudimio seu trezeno, recepta pro ipsis possessionibus seu juribus magnâ quantitate pecuniæ ac recepto aliquo censu modico in eisdem seu etiam pro eisdem; nos igitur hujus (modi) calliditatibus obviantes et attendentes quòd contractus naturam sapiunt venditionis, et est de ipsis circà præmissa, ut de venditionibus, nec non de venditionum contractibus judicandum, prohibemus hoc edicto in perpetuum valituro, tales contractus in comitatibus et terris prædictis de cætero fieri, sine consensu illorum quorum consensus in vendi-

tione fuerat requirendus : statuentes quòd pro contractibus hujus (modi), tanquàm pro venditionibus præstari trezenum. Si verò contrà factum fuerit, possessiones seu jura super quibus contractus hujusmodi fuerit attempptatus, ipso jure illi applicentur cujus consensus requirendus fuerat et cui debuerat præstari trezenum; liceatque ipsi domino ea capere seu apprehendere, auctoritate propriâ, vel, si voluerit in judicio experiri, audiatur mero judicis officio et sine strepitu judicii et figurâ. De hiis verò alienationibus quæ per prædictas fraudes et machinationes antè tempus presentis edicti sunt facta, statuimus sollicitè et diligenter inquiri per officium judicis et, veritate compertâ, alienationibus ipsis penitùs irritatis, possessiones ipsas et jura hujusmodi, in statum pristinum revocari, vel si fortè illi in quorum prejudicium facti sunt predicti contractus dicant prædicta sic alienata in commissum incidisse per jura scripta vel alia, quibus quidem in hâc parte non intendimus derogare, sed uti possint liberè jure suo. Volumus igitur et fidelitati vestræ præcipiendo mandamus, quatenùs edictum nostrum et ordinationem hujusmodi faciatis in comitatibus et terris prædictis solemniter publicari et inviolabiliter observari, præsentibus litteris, in archivo nostræ curiæ perpetuè observandis. Datum Neapoli per Bartholomeum de Capuâ militem, regni Siciliæ protonotarium et magnæ curiæ nostræ magistrum rationalem. Anno Domini MCCXCIV, die XXV maii, VII indictione, regnorum nostrorum anno X.

STATUTUM DOMINI REGIS

FACTUM CONTRA USURARIOS.

Carolus vel Robertus, etc.; ad audientiam nostram clamosâ insinuatione pervenit, usurarii pravitatem quæ adquisitarum rerum plenitudine non minuit, sed adquirendarum cupiditatem plùs accendit, in comitatibus nostris Provinciæ et Fercalquerii, tàm in animarum periculum quàm in dispendium facultatum multipliciter excrevisse, ut jam producta in publicum nec humanæ legis edicta, nec sanctorum Patrum sententiam deformidant, divinam vilipendendo ultionem, temporalem etiam pœnam ex eo propterea contemnunt, quòd apud humanum judicium veritatis indaginem probationis efficit difficultas. Crimen istud voluit utriusque juris ratio dampnatum meritò, per se-

quentes, de prelaterum, religiosorum, barosum et sapientum nostrorum consilio; igitur præsenti constitutione in suprà dictas communiter perpetuò valiturâ statuimus, ne quis in comitatibus ipsis, indè oriundus vel aliundè, de pecuniâ vel rebus suis, per se vel alium, usuras exerceant publicè vel occultè: neque in contractu usurarum, vel quo usurariâ pravitas fraudulenta contineatur, facere aliqualiter præsumant. Quòd si quis de cætero atemptaverit, et indè legitimè convictus fuerit, ad tollendum sibi hujus probationis difficultatis fiduciam, si publicâ contra eum famâ præcedenter, quatuor saltem testibus fide dignis et omni exceptione majoribus, usurarius sit inventus; quamvis idem testes inscii sint, quoàd loca et quantitates et tempora, singulares, dùm tamen ad id concordent, quòd principaliter agitur: scilicet, ut infamatus deinceps usurariam exerceat pravitatem, habeatur idem usurarius pro convicto et pro quâlibet librâ cujuslibet monetæ quam dicto utroque (judicio) convictionis, vel eorum altero, habuisse inventus fuerit, pro usuris, in centum solidos ejusdem monetæ multetur, nostræ curiæ applicandis, et usuras hiis à quibus receperit eas restituere teneatur. De quarum utiquè usurarum quantitate, ubi legitima probatio fortè defuerit, dictorum quatuor testium, cujuslibet de quantitate de quâ testificatur, stare volumus juramento. Et si testes plures quàm quatuor contra ipsum fœneratorem, post dictam conventionis sententiam exercerint, forma eadem, in prædictis quatuor testibus prænotata, de pluribus observetur. Adjicimus etiam in crimine isto, sicuti et in aliis, defferente aliquo ad inquisitionem, ex officio per curiam nostram procedi, et ex eo exigi pœnam suprà dictam. Et nihilominùs curia eumdem fœneratorem, in casibus suprà dictis, similiter ex officio cogat ad restitutionem usurarum hiis qui eas solverunt faciendam.

Hæc est forma inquirendi contra usurarios, secundùm tenorem statuti regii.

Anno, etc.; cùm usurarum voracitas verum... in tali castro exercerint, per nonnullos homines incolas et habitatores dicti castri, quòd Deum postponunt, usuras manifestè exercendo, ac contractus usurarios publicè in fraudem usurarum contrahendos; edictum idcircò, ad extirpandam radicem vicii et pestis suprà dictæ contra delatos in prædicto delicto et super eodem diffamatos, tàm super famâ quàm super mutuo, quàm etiam super contractibus in fraudem usurarum factis, ac pœna commissa per eosdem usurarios, per statutum regium contra

usurarios ordinata; talis curia infrà se et quilibet prædictorum ad inquirendum veritatem de prædictis, et repertâ veritate puniendos processit, prout juris ratio, et statutum regium suadebit. Item eadem curia ex officio suo inquirere voluit quòd nonnulli homines talis castri et specialiter usurarii, contractus usurarios in fraudem usurarum facientes, quantumcunque debitum in toto vel in parte creditoribus sit solutum per debitores, contrà statutum regium et pœnam in eo contentam, instrumenta debitoribus minimè restituerunt. Undè cùm homines infrà scripti creditoribus fuerint plurium debitorum obligati et instrumenta habuerunt de ipsis debitis jam solutis in totum vel in parte quæ nondùm sunt restituta debitoribus ipsis, scilicet ea penitùs retinuerunt et adhuc retinent, contra formam statuti regii, et pœnam in eo contentam. Idcircò curia prædicta possit contra infrà scriptos et quemlibet ipsorum et maximè contra diffamatos de crimine usurarum, ad inquirendum veritatem, et eâ repertâ puniendum juxta tenorem statuti, prout juris ratio suadebit.

STATUTA

FACTA

PER DOMINUM JOHANNEM SCOTI SENESCALLUM

SUPER

FACTO OFFICIALIUM, PER DOMINUM REGEM CAROLUM.

(1288-92.)

In primis statuimus quòd quilibet vicarius seu bajulus teneatur reddere computum et venire cum clavario Aquis, coram auditoribus rationum, adeò benè, quemadmodùm clavarius de hiis quæ recipiet à clavariis, et quòd restat sic ut remaneat semper super clavario.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd vicarii sive bajuli habeant cartularium in quo scribantur, per manum notarii curiæ regiæ, recepta clavarii et expensæ quas faciet de mense ad mensem, sicut aliàs per dominum nostrum regem extitit ordinatum. Et vicarius, bajulus et clavarius hoc jurent. Et si contingat quòd vicarius sive bajulus non esset in curiâ præsens, quòd

clavarius teneatur cum uno ex notariis curiæ computare, sicut cum illo quem vicarius sivè bajulus elegerit ad dictum computum faciendum.

STATUTUM.

Item, quòd omnes latæ, grossæ et minutæ, et trezenà, scribantur in uno cartulario, et omnes contestatores litium, in quo cartulario nihil aliud scribatur, et quòd vicarius, bajulus sive clavarius, dictum cartularium non teneant, scilicet semper in curiâ remaneat, et quicunque voluerint aliquid de cartulario, possint habere transcriptum sive translatum.

STATUTUM.

Item, in quodam alio cartulario scribatur bannum impositum de die et nocte, et preconisationes et termini falliti, et litteræ non obtemperatæ pœnam constituentes. Et quòd judex teneatur, prout justum fuerit, condemnare inobedientes. Et prædictum cartularium remaneat semper, penes notarium in curiâ; cujus cartularii vicarius, bajulus seu clavarius possint habere transcriptum.

ALIUD STATUTUM.

Item, cartularia in quibus scribentur omnes condemnationes, grossæ et minutæ, non liceat vicario, bajulo seu clavario portare secum extra curiam; sed semper remaneant in tabulario notariorum; tamen vicarius, bajulus seu clavarius transcriptum condemnationum teneantur penes se habere.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd omnes condemnationes quæ poterunt extrahi à condemnatis, à quibus non fuerit appellatum, extrahantur infra tres menses, nisi per majorem dilatio ducta esset. Et quòd illæ condemnationes, à quibus extiterit appellatum, post confirmationem infra duos menses exigantur, secundùm formam suprà dictam.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd quilibet vicarius seu bajulus in introïtu sui officii teneatur retinere et habere penes se nomina condemnatorum et quantitates condemnationum non cancellatarum in cartulariis curiæ, à xv annis citrà. Ità, quòd tàm de nominibus quàm de quantitatibus possit facere fidem quicunque per curiam fuerit requisitus.

ALIUD STATUTUM.

Item, nullus de bajulis minutis, constitutis per bajuliam seu vicariam, in aliquo castro, possit audire aliquam quæstionem à v solidis suprà; sed partes remittant ad curiam ordinariam suàm. Nec possint laudare aliquam venditionem, cujus trezenum excedit summam v solidorum. Nec laudare possit aliquam aliam venditionem seu possessionem in quâ jurisdictio alienetur. Vicarii verò et majores bajuli alienationes quascunque in quibus alienabitur jurisdictio, laudare possint, retentâ voluntate domini senescalli; et quòd ipsarum alienationem, infra mensem à tempore ipsius laudationis, notificent domino senescallo sub pœnâ dupli valoris rei ablatæ.

ALIUD STATUTUM.

Item, omnes vicarii et bajuli sub sacramento teneantur visitare bis in anno totam vicariam vel bajuliam, ne jura curiæ per aliquos occupari valeat vel aliquatenùs usurpari.

ALIUD STATUTUM.

Item, omnes accusationes, denunciationes et omnia alia quæ curiæ per personam aliquam denunciabuntur et quæ pertinent ad curiam regiam, ponantur in cartulario curiæ, et notarii infra mensem unum teneantur prædicta inquirere et complere illud quod compleverit per eosdem.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd judices, de duobus in duobus mensibus, ad minùs, debeant facere condemnationes et sæpiùs si poterunt, bono modo, et factis condemnationibus, nomina condemnatorum et quantitates condemnationum ad cameram thesaurarii infra XL dies debeant assignare.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd dicti judices teneantur, infra trium septimanarum spacium, carceratos expedire condemnando vel absolvendo, nisi talis esset causa propter quam essent non immeritò detinendi et à tribus verò septimanis in anteà, nisi fuerint plùs ex justâ causâ detinendi ut dictum est, dicti judices solvant expensas eorum.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd quilibet clavarius teneatur, de mense in mensem, cum suo vicario vel bajulo computare de expensis et receptis per eum factis, vel saltem de duobus in duobus mensibus. Cujus computi transcriptum vicarius seu bajulus penes se retineat et habeat et cùm ad computos venerit, secum ad dictos computos habeat apportare.

STATUTUM.

Item, quòd clavarii seu bajuli illi qui in recipiendo pecuniam, exercent officium clavarii, teneantur quàm citò, de condemnationibus de quibus fuerit satisfactum, condemnationes ipsas cancellare, per totam diem crastinam ex quo soluti fuerint, et hoc sub pœnâ duplicis condemnationis ejusdem.

STATUTUM.

Item, quòd cursores teneantur portare insulas de die, de signo curiæ, in capite vel in collo, ità ut ab hominibus cognoscantur; et hoc sub pœnâ

v solidorum, pro singulis vicibus quibus de die sine ipsis reperirentur: quas calotas sive beretas eis fieri faciant clavarii suprà dicti.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd nullus officialis, cujuscunque conditionis existat, recedat seu exeat juridictionem, seu terram sibi commissam vel officium suum, nisi de licenciâ domini senescalli vel pro expressis negociis curiæ. Propriis autem negociis exire possint et moram facere absque licenciâ, per quatuor dies tantùm.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd cùm appellantes sæpè fraudem commitant in præsentatione literarum quæ concedantur eisdem per dominum senescallum vel majorem judicem, videlicet in præsentando eas ut possint eorum quæstiones differre et solutiones tardare, quòd si contingat eas non presentasse, coràm senescallo vel majori judice, procedere paratos in quæstione seu quæstionibus eorum, infra duos menses à tempore concessionis literarum quibus cavetur, quòd exactio non fiat vel pignoratio; quòd tunc in anteà procedatur ad exactionem condemnationis prædictæ nisi paratus esset in continenti fore se impeditum justo impedimento. Et hoc intelligatur de condemnationibus factis ex officio judicis, et non causis ordinariis et hiis tantùm quæ ad curiam pertinent sive exspectant.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd quilibet sciat et scire teneatur nomina servientum cujuslibet castri; et, cùm mutuum eis faciet particulariter et distinctè, ne castellani possint eorum mutuum retinere vel in aliquo diminuere.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd quilibet castellanus non possit nec debeat mutare aliquem servientem de hiis qui ibi sunt, vel aliquem ibi de novo instituere, quamvis esset ibi defectus, absque licenciâ domini senescalli. Exceptis tamen illis servientibus qui morantur cum ipsis castellanis, et qui concessi sunt eis per curiam, quòd eis liceat mutare pro suo arbitrio voluntatis.

STATUTUM.

Item, quòd quilibet bajulus, clavarius, pedagerius, seu gabellarius aut alius pecuniam curiæ recipiens, teneatur aportaré, cùm venerit ad computos, cartularium tàm de receptis quàm de expensis, ità quòd unum ex eis dimittatur in camerâ rationum. Et quòd quilibet clavarius adducat secum unum ex notariis curiæ, pro suâ ratione reddendâ.

ALIUD STATUTUM.

Item, quòd vicarii, bajuli, judices ordinarii, ea quæ per se poterunt expedire non remittant ad dominum senescallum vel majorem judicem sub pœnâ x librarum; nec faciant venire subjectos ad prædictos dominos senescallum et majorem judicem, prope missis quæ ipsorum officio incumbunt.

STATUTA

FACTA

PER DOMINUM CAROLUM SECUNDUM,

REGEM JHEROSOLYMÆ ET SICILIÆ,

ET CONFIRMATIO STATUTORUM DOMINI CAROLI PRIMI

ET DOMINI RAYMUNDI BERENGARII.

Hugo de Vicinis miles, talis loci dominus, Provinciæ et Forcalquerii senescallus, vicario et judici, clavario et notariis Aquensibus, salutem et amorem sincerum; à sacrâ majestate regiâ litteras nos recepisse noveritis in hâc formâ.

LITTERÆ DOMINI CAROLI REGIS JHEROSOLYMÆ ET SICILIÆ.

Carolus secundus, Dei gratiâ Hierosolymæ et Siciliæ rex, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii comes, Hu-

goni de Vicinis militi, manescalliæ nostræ magistro, senescallo Provinciæ et Forcalquerii, dilecto consiliario, familiari et fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem. Mentem nostram, inter sollicitudines alias, hæc cura præstimulat ut reipublicæ fructuum dispendiis occurrentes, ex quibus nonnunquàm ipsius privatæ rei commodum læditur statusque vexatur, et ejus consulamus detrimenta, tollamusque quæ per quosdam jàm quodammodo abusum irrepresentant et fidelibus etiam nostris comitatuum Provinciæ et Forcalquerii ad quos regiæ majestatis affectione dirigimur, status debitæ prosperitatis arrideat, et conditio meliorata succurrat; per hoc et ejusdem tàm rei publicæ quàm privatæ provisio altera per alteram plus valebit. Ecce igitur dispositis fieri hactenùs, cùm in partibus Provinciæ fuimus, constitutiones nuperiùs edimus et redactas in valituram perpetuò sanxionem, tibi presentibus insertis transmittimus per presentem portitorem. Tuæ igitur fidelitati præcipiendo mandamus quatenùs condentis beneplacito complacens, et sanxiones te judicio et sanxioni conformans, statìm receptis presentibus, constitutiones ipsas et capitula facias in publicum divulgari, et ad clariorem certioremque notitiam eorumdem, singulis Vigueriis comitatuum prædictorum, formam et copiam, de verbo ad verbum illorum, sub tuo sigillo, gratis exhibeas, sub certâ et formidabili pœnâ, tàm eis quàm singulis aliis inducturus, ut constitutiones et capitula ipsa observent tenaciter et contra illa penitùs nihil temptent. Tuque, in exemplum laudabile aliorum, illa inviolabiliter serves et teneas et intransgressabiliter exsequaris. Sicque statuas prudenter et ordines quod unusquisque aliorum officialium comitatuum predictorum, tàm presens quàm successivè futurus, in assumpsione seu ad officium exercendum, priusquàm illud exercere incipiant, specialiter jurent, tactis sacrosanctis evangeliis, quòd constitutiones et capitula, tàm bonæ memoriæ domini patris nostri et comitis Raymundi Berengarii, quàm præsentia ipsa nostra, toto sui officii tempore teneant et observent et faciant inviolabiliter observari. Tu autem de exsecutione præsentium fieri facias scripta competentia publica, quorum alium tibi retineas, et alium ad curiam nobis mittas.

CONSTITUTIONES VERO

ET

CAPITULA IPSA

sunt hæc videlicet :

Veteris juris laudabilia sequentes exempla, quæ inter privatum et fiscum specialiter judicis delegant cognitionis examen, hujus constitutionis edicto statuimus ut de omnibus causis et litibus quæ inter curiam et fideles nostros comitatuum Provinciæ et Forcalquerii oriri contingit, senescallus et major judex eorumdem comitatuum per modum ordinarium, seu extra ordinarium, præsente procuratore nostro, cognoscant, ne sub diversis tribunalibus quod contingebat, hactenùs curia nostra subeundo judicia diversa vexetur, et ipsius indemnitatibus per delegationem certi et determinati judicis consulatur. Cognitiones autem prædictarum litium et causarum coram aliis judicibus habitas, ipso jure nullas esse jubemus, ut coram ipsis incompetentibus judicibus actitata, in ordinario judicio vel arbitrali vacatione, ad aliquam probationis vel præsumptionis speciem adduci non possit, consuetudine obtentâ in contrarium hactenùs super hujusmodi presentis sanxionis vigore sublatâ quam in futuris negociis tantùm unius volumus obtinere. Placeat, rationalis consilii tenore propenso, presente nostrâ inviolabili ordinatione præscribere, ut de singulis terris, possessionibus, redditibus, proventibus, obventionibus et juribus aliis quibuscunque dictorum comitatuum indagatio diligens, et solers inquisitio per viros probatæ fidei et opinionis electæ celebretur instanter, quæ in tribus inventariis seu caternis per partes et membra particulariter et distinctæ per res et species sigillatim et lucidè describantur, quorum unus sit semper in camerâ, alius penes senescallum Provinciæ, tertius penes procuratorem et officiales nostros super computis ordinatos. Senescallus verò, finito suo administrationis officio, inventarium ipsum cum augmento et diminutione factis per eum, sui officii tempore, assignare teneatur in camerâ et aliud uniforme per omnia successori; idemque successor thesaurarius vel statutus super camerâ ipsâ Provinciæ, de dictis augmento et diminutione, ubi-

cunquè fuerimus, conscientiam nostræ majestatis informent, ut benefacta probemus et delictum aut negligentiam pœnâ debitâ feriamus. Præsentis nostræ ordinationis edicto, præcipimus ut in quâlibet vicariâ habeat viguerius caternum unum, et clavarius unum, in quibus omnes res et pecuniæ ad clavarium pervenientes, easdem tàm de condemnationibus, latis, trezenis, pœnis quantumcunquè minutis, bannis, quàm aliis quibuscunque redditibus seu proventibus, quocumque nomine nuncupentur, et ex quibus causis pervenerint. Habeantque similiter dicti viguerius et clavarius duos caternos consimiles in quibus totalis exitus et expensæ pecuniæ per ipsum clavarium, cum distinctione causarum et personarum descriptione quibus soluta fuerit, contineantur apertè. Ità ut nomen pecuniæ et generales res omnes et species comprehendat unum caternum, ut tempore rationum seu computi ab ipso clavario faciendi, de introitu et exitu, caternus dicti viguerii, ad concordiam cum caterno clavarii, in computo producatur. Vigilentque sollicitè solventes, vel reddentes ipsi clavario, ut omnia quæ solvent aut reddent, ex quibuscunque sint causis, propter condemnationes, latas, pœnas et similia, per manus alterius notarii consistorii, ubi facienda est solutio, scribi procurent solutionem seu redditionem quam facient prescripto modo particulariter et distinctè tàm in caterno viguerii quàm clavarii; et post solutionem, singulis caternis ejusdem tabularii, per ordinem, subscriptionem apponi. Quæ scriptio et suscriptio per curiarum nostrarum notarios fiant; nisi autem per clavarium tàm in introitu quàm exitu prædicta cautela observetur. De omni autem eo quod non invenitur in introitu per utrumque caternum, si per culpam aut negligentiam hoc fortè processerit, idem clavarius tanquàm de substracto nostræ curiæ teneatur in duplum. Et in exitu, si culpa vel negligentia intervenerit, alia quàm prædicta, probatio clavarium non absolvat. Solventes autem aut reddentes ipsi clavario, contra formam prædictam, ab eo quod debent, pro sic soluto, in nullo penitùs liberentur, sed si per viguerium aut tabularium steterit, quominùs prædicti solventes, juxta prædestinatam formam, solutionem vel redditionem fecerint, idem viguerius et tabularius ad omne damnum et interesse ipsis solventibus teneantur.

De officialibus creandis.

Indignum censentes et grave, quòd aliquis minùs idoneus ad receptionem nostræ pecuniæ statuatur, presenti ordinatione decer-

nimus quòd senescallus Provinciæ et alii officiales nostri ad quorum spectat officium, nullum officialem qui pecuniam vel res alias curiæ nostræ recipere debeat ordinare presumat, nisi per officialem ipsum receptorem pecuniæ de indemnitate dictæ curiæ plenè sit cautum per fidejussores idoneos, in comitatibus nostris Provinciæ et Forcalquerii convenientem substanciam possidentes. Et si contrà factum fuerit, damnum quod perindè curiæ præfatæ continget, de bonis et facultatibus dicti senescalli vel officialis qui cautionem recipere debuit sarcietur. Hujus autem ordinationis nostræ edictum, non solùm ad futuros officiales extendimus sed præsentes, ut infrà certi temporis spatium pro locorum distantiâ, senescallus præsens Provinciæ, et officiales alii, ad quorum spectat officium à singulis clavariis et aliis receptoribus pecuniæ, aliarumque rerum curiæ nostræ, de indemnitate præfatâ, perdistinctam recipiant cautionem.

STATUTUM SUPER NOTARIIS CREANDIS.

Inordinatam et effrenatam pariter creationem notariorum in dictis comitatibus modo debito limitantes, consultâ deliberatione providimus perpetuò tenaciter observandum, quòd quilibet notarius, creandus in comitatibus ipsis, habeat instrumentum publicum vel testimoniales litteras duorum publicorum notariorum, aut unius in deffectu duorum aut sex proborum virorum oriundorum de loco undè notarius est creandus, de fide et legalitate ipsius, et quòd de legitimo matrimonio creatus existat, certius attestantes. De sufficienciâ verò, in camerâ nostrâ per eum ad quem pertinere dignoscitur, approbetur. Contra autem prædictam formam creatum notarium, quantùm ad ipsum officium exercendum, ab omnibus nostris fidelibus refutare præcipimus ut nec in judiciis vel contractibus ejus scripta ad investigandam veritatem, fides sic publica possit adduci, sed à judicibus eorum auctoritate repelli. Clericum verò nullum ad idem officium assumi jubemus, assumptumque à jus dicentibus, reique et omni auctoritate et potestate ejusdem officii vacuari, et ex ejus scripturâ nullius probationis aut præsumptionis saltem robur possit haberi. Et quia turpiùs ejicitur quàm non recipitur hospes edicendo Statuimus: Quòd si quis fuerit in notarium promovendus, habeat litteras testimoniales episcopi vel, si locus ubi eligitur episcopo careat, alterius qui per se vel per alium

spiritualiter præsit; quod idem in notarium promovendus non sit clericus, nec idem episcopus, vel alius præses, aut habeatur pro clerico. Et si propter testificationis prædictæ cautelam, aliquis ad idem officium promoveri se spectat, repellatur instanter; et si admissus de facto fuerit, eum pro notario publico decrevimus non haberi.

STATUTUM SUPER MEDICIS ET CYRURGICIS.

Sæpè contingit ut quem quis ad medelam langoris invitat et ipse causam peremptionis inducat et indè extremum mortis incurritur undè salutis remedium sperabat. Presentis igitur constitutionis edicto expressiùs prohibemus, ne quis, cujuscunque conditionis aut status sit, in medicinâ aut cyrurgiâ practicare presumat, nisi priùs de ipsius fide et legalitate in curiâ nostrâ, testimonio sufficienti perhabito, in eàdem curiâ, ad cujus officium spectare censetur, de suæ artis peritiâ, idoneus approbetur. Practicantes autem contra præsentis nostræ prohibitionis et determinationis edictum pœnam quinquaginta librarum turonensium multandum fore sanximus nostro ærario applicandam. Datum Neapoli per Bartholomeum de Capuâ logothetam et protonotarium regni Siciliæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, die duodecimâ julii, indictione octavâ, regnorum nostrorum anno duodecimo.

EXSEQUTIO.

Nos autem cupientes mandatis majestatis regiæ obedire, suprà dictas constitutiones et capitula per dominum nostrum regem edita et perpetuò valitura, ad notitiam vestram deduximus, vobis mandantes districtè et cuilibet vestrûm, sub pœnâ: vobis vicario, ccc marcharum argenti fini; judici et clavario, pro quolibet, cc marcharum; notariis c marcharum pro quolibet; et cuilibet personæ extraneæ c librarum; quatenùs tàm constitutiones et capitula domini nostri regis bonæ memoriæ, dominique bonæ recordationis domini Raymundi Berengarii, comitis Provinciæ et Forcalquerii: quas præsentes constitutiones et capitula domini nostri prædicti inviolabiliter observetis et observari, per totam jurisdictionem vobis commissam, sine corruptione aliquâ, in omnibus punctis et clausulis tenaciter faciatis, nec contra constitutiones et capitula hujusmodi aliquid penitùs attemptetis seu per aliquem

attemptare aliquatenùs permittatis. Hæc autem omnia cum tanto studio perfectionis edita, quæ sub sigillo nostro vobis et cuilibet vestrùm per latorem mittimus, vestra diligentia omnibus et universis juridictioni vestræ subjectis manifesta faciat edita à nobis ac pro grammate directis, in curiâ publicè positis, ut omnes agnoscant quæ per dominum nostrum regem saluberrimè sunt sanxita, et ut pœnas evitent impositas in eisdem, solemniter notoria facere vestra fidelitas manifestet ut præmittitur universis. Datum Aquis, die vigesimâ secundâ septembris, annò Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto.

STATUTA

DOMINI PETRI DE FERRARIIS,

CUM LITTERIS

DOMINI CAROLI SECUNDI ET SUI SENESCALLI.

Ricardus de Cambatesâ, miles regius, magister hostiarius ac comitatuum Provinciæ et Forcalquerii senescallus, vicariis, judicibus et clavariis Forojulii, Sistaronis, Barchiloniæ, Sedenæ et Vallisnuncii, salutem et amorem sincerum. Sicut bona incognita, propenso consilio condita, frequentiùs humano statui pariunt nocumentum, sicubi nota sunt et vulgariter cum sonoritate profusa, statum edificant et non mediocriter profecisse noscuntur; porrò per reverendum patrem dominum Petrum Dei gratiâ sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopum ac regni Siciliæ cancellarium, tanquàm plenam potestatem habentem, à domino nostro rege concessam, sicut in sequentibus litteris regiis apertiùs continetur, ad reformationes status et conditionum comitatuum prædictorum constitutum, et ordinationes infrà scriptæ fuerint editæ cum deliberatione consultâ, quæ nisi illibatæ protinùs servarentur et pœna corriperet transgressores, transirent illicitè in abusum. Undè vobis universis et singulis, sub pœnâ regiæ gratiæ, præsentium tenore jubemus, ut registratis constitutionibus istis in cartulariis curiæ cui præestis, eas observetis, et observari faciatis prout continent et declarant, et transgressores illarum pœnâ debitâ puniendo, ut nos punire volumus.

LITTERA COMMISSIONIS DOMINI REGIS DIRIGENDA AD IPSUM DOMINUM PETRUM DE FERRARIIS.

Carolus secundus Dei gratiâ rex Hierosolymæ et Siciliæ, ducatûs Apuliæ et principatûs Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii comes, venerabili in Christo patri Petro eâdem gratiâ archiepiscopo Arelatensi, cancellario regni nostri Siciliæ, consiliario familiari, et fideli nostro dilecto, gratam et bonam voluntatem. Sicut inefficax est exigere ab homine quod noscitur non habere, sic confidenter recurritur quod inesse sentitur. Cùm itaque in comitatibus nostris Provinciæ et Forcalquerii, quo versus in presentiâ acceditis, quàm plura pro bono præsertìm statu fidelium nostrorum partium earumdem facienda, corrigenda et emendanda fore dicatur, nos igitur attendentes quantis persona vestra ubicunque meritis fluit, quantoque meritorum nitore laudabiliter decoratur, ac conjecturantes ex hoc, imò jam indubitanter experti, quod commune bonum vehementer diligentes, atque certi ex intimo dilectionis et devotionis zelo, quem ad nos per vos haberi constat, quòd honorem nostrum et commodum præcordialiter affectatis; fidenter vobis tenore presentium committimus et mandamus ut in faciendis, corrigendis, dirigendis et emendandis illis, ad honorem commodumque nostrum, ac bonum statum jam dictorum fidelium *curam habeatis* omnibus fieri, corrigi, dirigi et emendari opus habentibus, usque ad nostrum beneplacitum vice nostrâ. Datum Neapoli per Bartholomeum de Capuâ, militem, logothetam et procuratorem regni Siciliæ, anno Domini millesimo trecentesimo quarto, die vigesimâ martii, secundâ indictionis: regnorum nostrorum anno vigesimo.

STATUTA

EDITA PER REVERENDUM PATREM

DICTUM DOMINUM PETRUM DE FERRARIIS,

MISERATIONE DIVINA

SANCTÆ ARELATENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUM
ET CANCELLARIUM REGNI SICILIÆ,

SUPER REFORMATIONE ET BONO STATU PROVINCIÆ.

Petrus miseratione divinâ sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, regni Siciliæ cancellarius, vicariis et judicibus Aquensibus presentibus videlicet et futuris, salutem et sincerum dilectionis affectum. Regalis auctoritas cui cura præcipua de rebus debet esse communibus officialium et superiorum, ad subditos opportunis, habet exhibere remediis suæ voluntatis arbitrium, fideliumque gravaminibus ac infestis invicem odiis radicitùs extirpatis, commune bonum illorum quærere ac statum procurare tranquillum. Hæc quidem serenissimus princeps dominus Carolus secundus Jerosolymæ et Siciliæ illustris, ab olim in mente frequenti meditatione revolutus, auditu interdùm officialium suorum Provinciæ ad prelatos et barones, et baronum ipsorum ad subditos, oppressionum gravium tædiis injustis, usurpationibus et extorsionibus insuetis providere sæpè concepit et salubre propositum exhibere clementer oppressis presidium opportunum; sed sic occupatum hactenùs propter bellicum fremitum variorum agendorum sarcina tenuit, ut ad id commodè prosilire nequivit. Nunc verò conceptum regiæ compassionis ad subditos affectibus volens probatis ostendere, et casus hujusmodi molestos et varios, dùm ad id implicitus in volucris majestatis suæ presentiâ exhibere non potuit, insufficientiæ nostræ prædicta corrigenda et reformanda commisit. Nos autem, pro nostrarum modulo virium regium cupientes implere mandamentum, ad diem octavam præsentis mensis novembris apud Aquas, prelatorum, baronum et nobilium nonnullorum comitatuum Provinciæ et Forcalquerii duximus ex causâ prædictâ, consilium convocandum. Quâ die, comparentibus coram nobis, et consilio regio comitatuum eorumdem:

venerabilibus in Christo patribus domino Rostagno Aquensi archiepiscopo, domino Ja. Forojuliensi episcopo, Hugo Aptensi, G. Vapincensi, Durando Marsiliensi, B. Avinionis episcopo; et dominis G. Sancti Victoris, et B. Montis Majoris abbatibus; et egregiis viris et dominis, B. comite Avellini, B. domino Berræ, B. Raybaudi, R. de Baucio de Podio Ricardo, Isnardo de Aleriis, Ricardo de Alamanono, et Guilhelmo Faraudo militibus, et Guirando de Symiana domicello, et quàm pluribus aliis baronibus et nobilibus comitatuum prædictorum. Nos eis regiæ voluntatis intentum circa prædicta proposuimus publicè, et quæ nobis exponere voluerunt audivimus et benignè. Super quibus et aliis, quæ corrigenda, reformanda et restauranda circa statum Provinciæ vidimus, perhabita deliberatione consilii, cum præfato domino Forojuliensi episcopo, egregio viro domino Ricardo de Cambatesâ senescallo, domino Johanne Cabassole, juris civilis professore, judice majori, domino Alpherio de Ysserniâ judice primarum appellationum comitatuum prædictorum, et aliis de regio consilio Provinciæ, negociorum et temporum qualitate pensatâ, pro bono statu Provinciæ et fidelium regiorum, in modum qui sequitur ordinandum et statuendum duximus et etiam providendum.

De Juramento per officiales prestando.

In primis, ut vicarii, bajuli et judices et alii ad administrandum justiciam ordinati, sint circa observationes justiciæ et ad jus reddendum magis solliciti, cùm plùs timeri soleat quod in plurium presentiâ est promissum, ordinamus quòd à modo singuli prædictorum, cùm ad locum sibi decretum venerint, præstent, priùs quàm officium sibi injunctum exerceant, juxta formam et juxta statutum, publicè juramentum. Per hoc autem universitatibus jurari debere per eos non intelligimus, nec ipsis universitatibus vel aliis personis singularibus, super exigendo ab eis juramento, volumus jus novum acquiri. Ne autem impunita ipsorum officialium culpa remaneat, statuimus ut nullus prædictorum officialium, post finem sui officii, ac successoris adventum, de locis quò rexisse noscitur recedere audeat antequàm x, si per annum, vel xx, si per biennium administraverit, dierum numerus finiatur, et sic proportionabiliter plùs vel minùs, si majori vel minori tempore administrasse noscatur; ità tamen quòd tempus remanendi non arctetur infra octo dierum, nec ultra xxx dierum numerus extendatur; ità quòd successor unà cum judice ordinario sibi

dato et alio de locis in quibus gessit officium per senescallum Provinciæ adjungendo seu altero eorum, si utriusquam copia habere non possit, querimoniam benignè recipiat propositam contra prædecessorem ipsius et alias contra ipsum ex officio diligenter inquirat. Et si, vel per querelam, propositionem vel inquisitionem, ipsum de aliquo crimine notatum reperiat, procedat juxta delicti qualitatem et merita probatorum ad condemnationem vel absolutionem, si de causâ liqueret, aut personæ recursionem vel fidejussorum receptionem, ubi de causâ non liquet, prout criminis diversitas hoc exposcit. Post tempus verò prædictum elapsum, liceat ei de loco recedere, procuratore dimisso pro causis incohatis contra ipsum civiliter terminandis. Ut autem nulla fraus circa hoc committatur, à singulis officialibus senescallus recipiat juramentum, quod ad prædicta, contra suum prædecessorem agenda, intendat sollicitus, antequàm assumat alia per quæ posset præmissum impedimentum afferri.

De Appellationibus quæ pertinent ad barones.

Quia de appellationibus quas à sentenciis judicum prælatorum, in temporalibus, baronum et aliorum nobilium, comitatuum Provinciæ et Forcalquerii, contingit emitti, uniformis et generalis definitio ut videlicet ad curiam regiam, vel ad ipsos prælatos, barones seu nobiles alios appelletur, propter diversitatem conditionis personarum, ipsorum et jurium quæ ipsi diversimodè habere se asserunt, dari non potest; præcipimus singulis officialibus domini nostri regis, per comitatus prædictos constitutis, quòd contra privilegia seu consuetudines legitimè et rationabiliter prescripta, circa appellationes prædictas, ipsos prælatos, barones et nobiles calumniosè, vel maliciosè, seu colore aliquo maliciosè quæsito, non perturbent, sed secundùm tenorem privilegiorum vel consuetum et debitum, eos de appellationibus ad ipsos interpositas cognoscere vel judices dare permittant. Quòd si fortè, super ipsis privilegiis seu consuetudine, dubium, inter curiam regiam et præfatos prælatos, barones seu nobiles, aliquod oriri contingat, ordinamus et statuimus ut, istud cognito summariè et de plano, sine strepitu et figurâ judicii, per senescallum Provinciæ, seu delegandum ab eo, vel per alium ad cujus juridictionem pertinere continget, celeriter decidatur. Ipsum autem delegatum, si per eum cognoscatur, sportulas, stipendia seu salarium etiam pro expensis, cum de hiis curia sibi provideat, à præfatis prælatis, baronibus seu nobilibus, recipere prohibemus.

De Privilegiis.

Quia privilegia principium debent esse et mensura presentis serici, omnibus officialibus regiis per comitatus Provinciæ et Forcalquerii districtè præcipimus, ut omnia privilegia prælatis, baronibus, castellanis, nobilibus, et aliis quibuscunque, per inclitæ recordationis dominum Carolum, genitorem domini nostri Hierosolymæ et Siciliæ regis illustris et comitem Provinciæ et Forcalquerii, seu per ipsum dominum nostrum dominum Raymundum Berengarii avum ejus, seu prædecessores eorum, in comitatibus prædictis, vel alterum eorum concessa, firma et illibata conservent, nisi ex causâ rationabili et legitimâ sit recessum ab eis. Adjicientes quòd neminem de possessione, seu quasi, rerum et jurium quæ pacificè diutiùs possiderunt prælati prænominati, sine causæ cognitione, ejiciant. Nec eis, super ea, præfati officiales vel eorum aliquis, causâ non cognitâ, molestiam indebitam inferant vel gravamen; sed contrà eos sic possidentes, vel quasi, curia regia civili experiatur modo, si se jus putat habere.

De Remissione delinquentium faciendâ.

Ut crimina quæ punire magna ratio suadet, citiùs reperiri contingat, et ut pœna pro ipsis imponenda in majus cedat exemplum, jure rationabiliter statutum est delinquentes ad locum maleficii remittendos. Statuimus igitur quòd à modo, in comitatibus antedictis, curia regia delinquentes, etiam homines regios, in terris seu locis prælatorum, baronum vel aliorum in hiis jus habentium, ipsis prælatis, baronibus et aliis hujus modi jus habentibus, ad requisitionem eorum, et è contrà prælati, barones et ceteri, juridictionem habentes, curiæ regiæ, cùm in loco immediatè sibi subjecto delinquentes, in casibus in quibus est facienda remissio, remittere teneantur, licet per judicem regium, prælati seu baronis à quo remissio fieri petitur, in criminis inquisitione preventum.

De Cavalcatis.

Cavalcatæ nobilibus qui eas personaliter præstare tenentur non indicantur, nisi cùm necessitas imminebit; ubi autem illi qui cavalcatas debent in casu licito vocati fuerunt, mostram coram illo de quo dominus rex vel ejus senescallus ordinaverit facere teneantur. Monemus autem præsentis edicti tenore singulos ad cavalcatas adstrictos, ut sicut

status eorum et obligatio hoc exposcit, sint muniti equis decenter et armis : cùm, præter obligationem et necessitatem istius, eorum decet honestatem.

De Juridictione prælatorum et baronum propter negligenciam ipsorum.

Prætereà prælati, baronis vel alterius juridictionem habentis temporalem, *propter* negligenciam, ad curiam regiam, ut potè superiorem, cum in eo casu in quo fuerit negligens, juridictio devolvenda; nullum ex hoc, in alio casu in *quo* negligentiam non commiserit, prejudicium generando. Tunc autem potest meritò negligens judicari, cùm expressè dicit se nolle justiciam facere, vel requisitus per curiam regiam ut competenti, statuto termino, jus reddere non curavit; seu etiam ubi delinquentem cujus est crimen notorium vel manifestum, tractat familiariter et eidem favorem impendit, cùm ex hoc criminis particeps valeat justè vel jure censeri.

De Salario consiliarii.

Si super litem quæ inter fiscum et privatum vertitur, sit per judicem consilium à jurisperito aliquo requirendum, ille ad cujus justiciam petitur satisfaciat de salario consilii impendendi, si neutra partium consentiat; solvat judex qui electus est ut peritus. Ab illo autem consilium peti vetamus ad quem potest per appellationem causa devolvi; et quod est inter privatos volumus observari.

De Salario notariorum.

Notario satisfaciat, pro actis, illa pars quæ acta ab illo recipiet; pro dictis verò quas fecit ad procuratoris fisci instanciam, fisci adversarius nihil dabit; secus si utroque requirente. Notarius extra locum ubi exercet officium nec contingat; solvet (enim?), pro dimidio, sumptum eidem qui cum fisco litigat *et* respondebit.

De Commissione faciendâ propter procuratores regios.

Ne autem propter procuratoris fisci absentiam per causas plùs debito pronunciari contingat, ordinamus ut juxta domini nostri regis statutum, videlicet cùm litis extimatio infra x librarum quantitatem subsistit, eo non vocato: cùm verò quantitatem excedit, eo vocato, judex coram quo, ex judicii naturâ, movetur causa, procedat; procurator verò, per se vel substitutum, ad eam agendam veniat, nec calumniosè

se substrahat, ne litem ex hoc plus differre contingat; senescallo autem liceat, nonobstante procuratoris contradictione, ut coram fiscalem, si hoc expedire videbitur, committere, ut per alium examinatorem continuè intendentem, vel ad loci de cujus fortè finibus agitur presentiam accedentem, causa citiùs terminetur.

De Latis seu Sportulis.

Lata quæ plùs consuetudine quàm jure scripto debetur, rationabili locorum consuetudine quàm ex locorum diversitate diffo mitter præcipimus exigi relinquatur; sic tamen ut per usum à x annis citra servatum nullum circa eam exigendam adminiculum præbeatur.

De Nunciis mittendis.

Cùm pro executione sentenciarum seu multarum apparitores mitti continget, mittatur unus regulariter, vel, si necesse sit, duo, ubi propter resistentiam et contradictionem illius contra quem mittitur major numerus necessarius judicetur; sed attendant judices, ne circa hoc fraudem committant, necessitatem, ubi non est, allegantes cum, præter pœnam perjurii quam injustè gravando partem incurrunt, ad interesse partis lesæ, utpote qui litem suam faciunt, eos teneri præsentium serie declaramus.

De Salario nunciorum in die.

Apparitor verò, pro die quo executiones vel pignorationes communes faciet, XII denariis refforciatis sit contentus; plus autem a partibus etiam exigens ab officio amoveatur perpetuò et duplum illi à quo exigit restituere compellatur.

De Bajulis amovendis ubi dominus rex proprietatem non habet.

Juxta domini nostri regis ordinationem statutam circa hoc vel editam, bajulos de locis in quibus curia regia proprietatem non habet præcipimus amoveri.

De animalibus advenis.

Circa animalia advena seu adventitia quorum....., stari volumus antiquæ consuetudini, præcipientes, ne super hiis quæ in terris prelatorum, baronum et aliorum juridictionem habentium reperiri continget, ipsi prelati et barones per curiam regiam molestentur.

De illis qui mutant domicilium, qualiter contribuant.

Qui de unâ civitate vel castro ad locum alium domicilium trans-

ferunt, realia et quæ pro rebus et personis inducuntur possessiones quas habent in loco undè se transferunt, munera subire cogantur. Domini verò locorum quos priùs inhabitant, jus sibi bona se transferentium retinendi non habent, nisi essent adscripticii seu servi vulgariter angarii, aut de corpore vel casalagio homines censerentur.

De incarceratis sine culpâ.

Qui sine culpâ captus fuerit, pro jure carceris nihil solvat, ne injustè gravato et afflicto gravamen addatur.

De illis qui non tenentur conferre in fogagiis.

Mendicantes qui nulla stabilia vel immobilia obtinent, in fogagiis non conferant, nec in focalariorum numero computentur. Item, fogagia curia recipiat in locis in quibus recipere consuevit, nec sine causæ cognitione compellat aliquos ad solvendum, quos in quasi possessione libertatis non solvendi esse constabit. Et si fortè aliqui sint qui se gravari ex fogagiorum receptione in totum vel in parte conquerantur, fiat eis justicia brevis summariè et de plano, vocato procuratore fiscali. Item, dùm causa agitur, curia in quasi possessione percipiendi in quâ fuit diutiùs remaneat.

De illis qui non mutant domicilium.

Ne curia regia homines prælatorum, baronum vel aliorum domicilium non mutantes, sed sub eisdem domiciliis remanentes et continuè habitantes, et homines regios contra prælatum, baronem vel alium nobilem tueatur; cùm hoc ad invidiam et gravamen prælatorum et aliorum dominorum fieri principaliter videatur; et quod in contrarium factum est revocetur districtè jubemus.

Quibus sit licitum arma portare.

Hiis qui juridictionem talem habent per quam eis competit personam vel pignora pro executione capere, liceat infra suum territorium pro exsequtione hujusmodi, si eam aliter commodè vel tutè exercere non posset, per se et apparitores suos ad hoc necessarios arma portare.

De causis fiscalibus qualiter ventilentur.

Quia quæstiones fiscales quarum justicia lapsu non poterit trien-

nium, plus debito interdùm propter advocatorum malitiam seu imperitiam, dùm videlicet judiciarii ritum ordinis non observant, prorogari contingit in grave damnum fisci et subjectorum qui in causis substancias suas pro magnâ parte consumunt, quod contra domini nostri regis intentionem, qui more justi et pii principis se abundare indicat locupletibus subjectis fieri utendo novimus; ordinamus et statuimus ex potestate permissâ, et hoc ex ipsius domini regis dispositione esse censemus, ut à modo in causis fiscalibus sive per fiscum privato, sive per privatum fisco eas moveri contingat, ex necessitate judiciorum solemnitas non servetur: sed in eis procedatur summariè et de plano, nec ex protestatione seu omissione soliti judiciarii ordinis, qui potiùs ritum et solemnitatem quàm substancialia causæ respicit, nulli processus seu sententia censeantur.

De Delictis qui committuntur in viis publicis et in locis religiosis.

Licet delicta in viis publicis, locis religiosis et sacris seu divino cultui deputatis, et in personis clericorum seu religiosorum commissa, tàm dominus noster rex quàm predecessores ejusdem, ut putà ad eos seu eorum juridictionem juri regali pertinentia, punire consueverunt ab antiquo; quia tamen nonnulli prælati, barones et nobiles comitatuum prædictorum de præmissis quasi ad eorum cognitionem ea vel ex eis aliqua debeant pertinere queruntur, ordinamus ut illi qui de jure suo coram senescallo Provinciæ, vel delegando per eum, querimoniam defferre voluerint, vocato fisci procuratore, audiantur summariè et de plano, servatâ formâ quæ in examinatione et decisione causarum fiscalium est statuta.

Qui censeantur Clerici.

Quia tamen per al'quos officiales, circa personas clericorum et determinationem itinerum publicorum, calumnias et molestias indebitas ipsis prælatis, baronibus et nobilibus aliis, ingeri relatu multorum audivimus; præsentis edictionis tenore describimus prælatos et quoscunque in sacris ordinibus constitutos, nec non alios simplices clericos non conjugatos, vitam clericalem agentes et eorum familiam necessariam et honestam quæ, sinè fraude et fictione, qualium prælatorum et clericorum sumptibus victum et vestitum continuè servitiis ipsorum insistunt, clericorum appellatione censeri.

Contra clericos vagantes et tonsuram dimittentes.

Clerici verò extra sacros ordines constituti, qui ad serviendum in tabernâ publicâ operas suas locant et manifestè usuras exercent, aut officio macellarii, lenonis seu parandi propriis manibus pelles et coria principaliter vaccant; et qui relicto habitu clericali, et gestare arma militaria non verentur, illi etiam qui nec in modum tonsuræ nec in vestimentorum formâ de clerico quidcunque ostendunt, et qui turpiùs et iniquè clericorum professioni adversantur negociis, divinis officiis prætermissis intendunt, quantùm ad præmissa pertinent, clericos non censemus. Præsentem autem declarationem ad præmissum referimus dumtaxat articulum nec intendimus ut ad alia ipsis clericis quoad forum, vel aliter indulta privilegia extendatur, nec illos quos ex præmissis expressimus clericos non censendos sine tutelâ dimittimus cùm ad puniendas eisdem factas offensas, judices offendentium et locorum in quibus offensa committitur, et in eorum defectum si offendens juridictioni temporali subsit, curia regia ad hujusmodi crimina coercenda non desinit, sed ipsos, potiùs per spiritualis tuitionis præmissum, ad meliora vitæ, et ad evitandum clericalis professionis opprobrium invitamus.

De Viis publicis.

Vias verò publicas juxta juris interpretationem edicimus quæ ad mare, flumen publicum et navigabile aut urbem, seu castrum territorium districtum et limitatum habens, aut ad aliquam aliam viam publicam, quæ militaris interdùm dicitur, exitum habere probantur. Alias autem quæ de agro ad agrum ducunt, seu de vico ad vicum, territorium non habentem, licèt earum non extet memoria; carrerias etiam quæ infra civitates, castra, vel burgos et suburbia constitutæ sunt, licèt de jure publicæ nominentur, quoad præsentem materiam publicarum viarum censemus numero non haberi. Sed qui per viam incedens publicam, et ejusdem inscitia seu imprudentia, vel ex aliâ justâ causâ, per agros vicinos iter continuat, faciem publicæ viæ sequens, esse extra viam publicam non videtur. Si autem pro aliquo in vico seu agro visitando, seu causâ abreviationis viæ, ab itineris publici conspectu recedat, vel necessitate seu utilitate cessante, secùs viam publicam, ingrediatur vicina prædia dans damnum in eis et ibi præsertìm per bannerios seu alios custodes agrorum quomodolicet offenditur, non reputabitur in viâ publicâ offensa commissa.

De eodem.

Si pastores etiam gregem juxta viam custodientes publicam, vel cultores, alias custodes agrorum, invicem in viâ rixentur publicâ, vel rixantes in agro incidant, in eodem non debet ad curiam regiam jure regaliæ pertinere. Per præmissa verò vel aliqua præmissorum detrahere non intendimus (sic non possumus nec debemus) juri si quid prælatis, baronibus, universitatibus vel personis aliis singularibus per conventiones, privilegia aut consuetudinem prescriptam, legitimè vel aliter rationabiliter in contrarium est quæsitum.

Hanc igitur ordinationem quam ad cohibitionem excessuum, reformationem Provinciæ, ac bonum statum fidelium regiorum, auctoritate regiâ facimus, per vos eadem inviolabiliter servare mandamus. Datum Aquis anno Domini millesimo trecentesimo quarto, die duodecimâ mensis novembris, tertio indictionis.

DECLARATIO STATUTORUM REGIORUM

ET MODIFICATIO EORUM,

SUPER

OFFICIO NOTARIORUM ET CREDITORUM PRÆSERTIM USURARIORUM

NON RESTITUENTIUM DEBITORIBUS INSTRUMENTA.

In nomine Domini, amen. Anno à nativitate ejusdem millesimo trecentesimo sexto, die decimâ quintâ mensis januarii. Præsens littera extitit presentata in curiâ Espitelli.

LITTERA DOMINI JOHANNIS CABASSOLE MILITIS.

Johannes Cabassole miles, juris civilis professor, in comitatibus Provinciæ et Forcalquerii judex major, ac domini senescalli eorumdem comitatuum locum tenens, vicariis et judicibus Aquis, Draguiniani, Dignæ, Sistarici, Grassæ, comitatûs Vintimilii, salutem et amorem sincerum. Inter alias constitutiones quas inclytus princeps dominus

noster Robertus, primogenitus illustris Jerosolymæ et Siciliæ regis, dux Calabriæ, ac ejus in regno Siciliæ et comitatibus Provinciæ et Forcalquerii vicarius generalis, nuper edidit pro communi commodo subjectorum, unam in illis inseruit specialiter et expresso per quam certam formam notariis comitatuum prædictorum tradidit in scriptis continentem linearum numerum ac etiam dictionum, quam ad nostram credimus noticiam pervenisse et certum salarium statuit propterea exhibendum, volens amputare super exactiones indebitas quas notarii ipsi ab olim pro redimendis scripturis facere consueverant, subjectos quàm plurimùm aggravando; quàm sub pœnâ perjurii notariis irrefragabiliter observare præcepit. Et quia in observatione literarum et potissimè dictionum quòd nihil obliviscerentur ex eis, ipsis notariis parari perjurium videbatur, de suî famâ solliciti super hoc conquerebantur, asserentes fore dubium et difficile per illos posse servari. Propter quod reverendus pater dominus Petrus divina Providentia sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, ac regni Siciliæ cancellarius, qui instituentis mentem cognovit, constitutionem ipsam auctoritate regiâ, et suarum literarum seriem declaravit, et illam nobis misit, sigilli sui impressione fideliter sigillatam et per universam provinciam publicari mandavit; quam reverenter recepimus, et ipsius constitutionis declarationem per prædictum dominum cancellarium nobis missam ecce vobis misimus, per omnia continentem infrà scripta pridiè cum deliberatione consilii, circa moderationem pretii seu salarii pro scripturis tribuendi. Inclitus princeps dominus Robertus primogenitus illustris Hierosolymæ et Siciliæ regis, dux Calabriæ, ac ejus in regno Siciliæ et comitatibus Provinciæ et Forcalquerii vicarius generalis, certo modo providit, in quâ provisione juris carta seu folium certum contineret numerum linearum recipiant in ibi notarii quantitatem expressam. Nunc verò notarii et qui ad observationem ordinationis hujusmodi debeant per juramentum astringi conqueruntur ut potè de suî famâ solliciti, anceps præsertìm quoad vocem populi, sibi parari perjurium, cùm difficile sit et grave sic tenere numerum linearum et maximè dictionum quòd nihil obmitatur ex eis, nam calami et atramenti mutatio cum aliter et langor frequenter similitudinis scribendi prohibet paritatem, circa premissa salubriter providere; nos igitur qui mentem novimus statuentis, intendentes priùs intentioni servire quàm verbis, presentium serie declaramus, quòd si notarii dictionum vel linearum numerum ex errore potiùs quàm ex malitiâ, vel etiam ex industriâ, dùm modò proportionabiliter tantò minùs pretii recipiant,

quantùm de numero linearum vel dictionum omittitur, non observant, non ideò debeant censeri perjuri, vel si fortassis in duabus lineis tot dictiones aut in duabus paginis tot lineas ponere velint quot in unâ ponere debuerunt, recipientes sicut pro unâ dumtaxat paginâ, mentem hujus non offendunt. Adverbia verò, conjunctiones, propositiones, interjectiones vel monosyllabas, et nomina vel cognomina, cùm sit spatium scripturæ, dicimus dictionis vocabulo comprehendi.

Item super eodem.

Ad hæc quia de notis antè presentem ordinationem receptis nec tamen in unum redactis vel etiam instrumentis nondùm partibus assignatis, posset in anteà statutum intendi debeat in posterum dubitari; ecce describimus quòd cùm potiùs ad moderationem debiti quàm ad editionem juris novi statutum hujusmodi dirigatur ad scripturas notarum, instrumentorum vel actorum jam factis, etiam dùm modò de pretio satisfactum non fuerit vel spontè conventum, rationabiliter debeat extendi. Vos igitur requirimus, regiâ nihilominùs autoritate mandantes, in præfatam declarationem interpretationem observetis et faciatis inviolabiliter observari. Per hæc tamen, pœnæ statuti, si quid contra illud sic intellectum committerent, in nullo intendimus derogare. Quocircà discretioni vestræ mandamus expressè, quatinùs statùm post receptionem presentium declarationem prædictam per terras et loca vobis subditas publicè divulgantes, ne aliquis causas ignorantiæ pretendere valeat in eâdem, et vos servetis illam et faciat is ab aliis inviolabiliter observari. Cauti attentiùs, quòd de publicatione earum pateat per publicum instrumentum ut nullum in posterùm proindè valeat dubium exoriri.

Sanè quia inter constitutiones præfatas una inveniatur per quam epressè cavetur ut quodcunque debitum aut pars debiti creditoribus et præsertim usurariis solvetur, instrumentum originale totius debiti continens quantitatem, debitori solventi creditores restituere teneantur, sufficienti cautelâ de residuo dicti debiti per debitorem noviter creditori; et super hoc periculum immineat creditoribus qui contractus faciunt sinè vitio usurarum, ad quos constituens suum intuitum non direxit; de consciencia et mandato domini Arelatensis archiepiscopi et regni Siciliæ cancellarii litteratorie vobis facto qui mentem instituentis ut præmittitur plenè novit, constitutionem ipsam de parte solvens debiti exprimente serie præsentium declaramus; videlicet quòd illa, ubi pars est debiti persoluta, extendatur duntaxat quoad usurarios

manifestos vel qui de usurâ rationabiliter sunt suspecti et contra quos super hoc est fama communis, qui ex retentione instrumentorum hujusmodi debitores suos solliciti sunt aggravare, quos nisi constitutionem ipsam servaverint pœnis in eodem adjectis subjacere volumus et jubemus. Creditores reliquos qui super usurarum voragine suspecti rationabiliter non habentur, ubi solùm partem aliquam eis debiti receperunt non comprehendi sub illâ, de prædicti reverendi patris consciencià declarantes, et expressiùs injungentes, ut declarationem hujusmodi in formâ publicâ publicetis et faciatis à vestris subditis inviolabiliter observari. Præsentes autem literas post convenientem inspectionem earum, quantùm opportunum fuerit, et earum tenore in nostram curiam registrato restitui volumus præsentanti. Datum Aquis, anno Domini millesimo trecentesimo sexto, die quintâ junii, quarto indictionis.

EXSEQUTIO LITTERÆ SUPRADICTÆ.

Quâ litterâ lectâ et publicatâ latinis verbis in præsentiâ dicti domini judicis et testium infrà scriptorum, in domo Rostagni Guirandi, in quâ curiâ registratur per me Guinotum Guinoti notarium comitatus Vintimilii, præfatus dominus judex jussit indè per me dictum notarium, si opus fuerit, facere publicum instrumentum. Actum in dictâ domo in presentiâ Gandulfi Joannis Raymundi Boneti, Petri Giraudi, Antonii Giraudi notariorum et Stephani Joannis clerici conjugati de Sespitello, testium vocatorum et rogatorum.

STATUTA

EDITA

PER ILLUSTRISSIMUM DOMINUM ROBERTUM,

DEI GRATIA PRIMOGENITUM DOMINI REGIS CAROLI SECUNDI,

DUCEM CALABRIÆ, ET DICTI REGNI VICARIUM GENERALEM.

Johannes Cabassole, miles, juris civilis professor, comitatuum Provinciæ et Forcalquerii major judex et locum tenens egregii viri do-

mini Ricardi de Cambatezâ militis regii, magni hostiarii ac dictorum comitatuum Provinciæ ac Forcalquerii senescalli, vicariis, judicibus, bajulis et clavariis Aquis, Sancti Maximini, Brinoniæ, Draguiniani, Grassæ, Marsiliæ, Arearum comitatus Vintimilii et Niciæ, presentibus et futuris salutem et amorem sincerum. Constitutiones laudabiles et pro communi ac subjectorum commodo noviter editas per inclitum principem dominum Robertum primogenitum illustris Jerosolymæ et Siciliæ regis, ducem Calabriæ ac ejus in regno Siciliæ et comitatibus Provinciæ et Forcalquerii vicarium generalem, domini ducis prædicto sigillo solito et pendente munitas reverenter recepimus, quæ sunt tenoris et continentiæ subsequentis.

Anno Domini millesimo trecentesimo sexto, die vigesimâ quintâ junii, Robertus illustris Hierosolymæ et Siciliæ regis primogenitus, Calabriæ dux, ejusque in regno Siciliæ ac comitatibus Provinciæ et Forcalquerii vicarius generalis, senescallo, vicariis, judicibus, clavariis et universis aliis officialibus regiis per comitatus eosdem constitutis, tàm presentibus quàm futuris paternis fidelibus sibique devotis, cum sincerâ dilectione salutem. Nostro tempore laboravit hactenùs nec laborare cessat, ut ipsius prædilecti fideles paterni comitatuum Provinciæ et Forcalquerii ipsius utique domini genitoris nostri et nostrum peculiare patrimonium, post labores multiplices quæ pro ejusdem domini patris nostri fide sustinuerunt, officialium transgressionibus prædisque cessantibus, solatia resumerent quietis et pacis. Adveniente igitur acceptabili tempore quo noster affectus producatur in actum, ejusdem vicariatûs auctoritate quâ fungimur de salubribus remediis per ordinationes subscriptas duximus providendum.

Forma notariorum quantùm nec qualiter debent recipere pro scripturis.

In primis ne notarii seu tabelliones publica instrumenta et acta publica perscribentes immoderatè gravent subjectos et fideles regios sicut frequenter per multos factum esse comperimus, statuimus ut ipsi notarii pro scripturis quas facient sub hàc formâ recipiant pro singulis cartis ab unâ parte integraliter scriptis in quarum quâlibet parte sint XXVI lineæ et in singulis lineis sint XIII dictiones, recipiant denarios VI dumtaxat. Ubi tamen essent cartæ et receptiones testium conscriptæ, quia ibi plùs laborant, recipiant denarios octo; pro medio folio ab uno latere scripto in formâ cedularum, tres denarios; ità

tamen quòd cedula quælibet habeat quinquaginta lineas. Pro instrumentis publicis continentibus pargamenum unum minoris formæ, quinque solidos; majoris formæ, duodecim solidos; mediocris formæ octo solidos. Et ipsum majoris formæ contineat lineas LX et dictiones XXX in singulis lineis perfectis et proportionetur de pargamenis minoris et mediocris formæ et de continentibus medium vel quartum pargameni. Ad hoc observandum per juramentum quilibet tabellio astringatur. Qui verò contra statutum receperit juramentum et suæ salutis immemor violando duplum restituat parti quam immoderatè gravavit, et ut perjurus officio perpetuo sit ipso jure privatus. Ut autem presens statutum efficacius observetur, ordinamus ut quilibet judex ordinarius vel delegatus in manus senescalli jurare debeat quòd cùm notarius qui coram eo acta conscribet, lucrum non participabit actoris, et nihilominùs in quàlibet vicariâ seu bajuliâ in loco ubi judex vel vicarius aut bajulus residere principaliter consuevit, constituantur per vicarium seu bajulum cum consilio bonorum virorum tres viri fideles opinionis probatæ et in talibus experti qui unus vel duo ex eis, si dubium circà observationem presentis statuti aliquod oriatur, illud suo arbitrio determinent et declarent. Prædicti autem tres viri juramentum in manibus prædicti vicarii seu bajuli præbeant quòd quæcunque orientur dubia, rectè secundùm conscienciam determinabunt post positis odio, pretio vel amore.

Ne officiales creari debeant de loco suo.

Præcipimus etiam sicut et juri convenit, et jàm per dominum genitorem nostrum intelleximus ordinatum; ne vicarius judex, jurisdictionis exercicium habens, aut notarius tabularium teneńs à modo creari debeat, cui de vicariâ seu bajuliâ ipsâ in quâ gerit officium sit origo. Et illos qui contra presentem constitutionem in officiis nunc existunt amoveri jubemus, ipsis si sufficientes sint et benè se gesserint in locis aliis collocandis. Hoc tamen statutum extendi nolumus ad illas civitates in quibus ex conventione speciali est contrarium ordinatum.

Ne in ciminteriis fiant nundinæ.

Ad hoc quod locus religiosus in locum negociationis converti non debeat, precipimus ut juxta ordinationem Gregorii decimi factam in concilio lugdunensi cessent in ciminteriis negociationes precipuè nundinarum et fori cujuscunque tumultus. Adjicientes ut in civitatibus, castris, vel villis in quibus contrarium fieri consuevit, per officiales ipsarum civitatum, vel castrorum, vel villarum ipsarum, locus alius

conveniens ad forum hujusmodi deputetur. Qui verò presentis ordinationis et publicationis quam in singulis civitatibus, castris et locis, per vicarios et bajulos jubemus fieri contrarium fecerint, dimidiâ parte mercium seu rerum quas causâ negociandi ad ciminterium portaverint sint ipso facto privati, curiæ applicanda.

Ut nullus christianus infirmus vocet judeum medicum, et ne Judei vel alii infideles sint ausi exercere officium medicinæ.

Quia verò ad curam infirmorum tales vocandi sint, qui non tantùm corporis medela, quantùm animæ monita suadent salutis, districtè precipimus, ut juxta quod est in sanctâ synodo sacris canonibus institutum, nullus in infirmitate vocare debeat medicum judeum vel alterum infidelem, nec ab eo seu ejus consilio recipere medicinam, nec per senescallum vel officialem alium, judeo vel alii à fide devio practicandi inter fideles licentia in posterum concedatur. Et si fortè alicui ante hæc tempora sit concessa, eam decernimus non tenere, revocantes eamdem quantùm de facto processit. Judeus verò qui contrà presentem ordinationem vocatus accesserit, in x libris reforciatorum pœnam incidit nostræ curiæ applicandam. Quam si solvere nequiverit, corpore eum castigari jubemus : vocans verò fidelis arbitrio judicis cujus jurisdictioni subest puniatur.

Quòd macellus Judeorum sit separatus à macello Christianorum.

Ut etiam inter Christianos et Judeos nulla sit communio, statuimus ut à modo macellus Judeorum sit à macello fidelium separatus, ne carnes à Judeis judayco modo mactatas et fortassis, eo accepto quod eis necessarium est, quasi superfluas venditioni expositas, à Christianis emi contingat. Quod quidem indignum et velut sacrilegium censentur omnia ab ipsis quæ per fidelium manus parata sunt, judicentur immunda, ac si inferiores ipsorum reputarentur Christiani, si ab ipsis parata reciperent velut munda.

Ut Judei signum rotæ portent, ut discernantur à Christianis.

Ut etiam quos ritus dividit, habitus distinctos ostendunt, statuimus ut juxta canonica instituta Judei signum portent notabile et apparens videlicet rotam seu circulum in medio vestis superioris, sic quod videri palàm possit, ut per hoc à fidelibus distinguantur. Qui verò non portaverit, sit veste superiori ipso jure privatus. Cujus vestis dimidia

curiæ et alia dimidia delatori conquerenti. Sed per hoc juri illorum prejudiciari nolumus quibus ex statuto vel ex consuetudine prescriptà, sicut in aliquibus locis esse asseritur, vestis hujusmodi consuevit acquiri.

Ut ubi multi sunt notarii, duo deputentur ad inquisitiones faciendas vel unus secundùm quantitatem vicariæ.

Quia quod distinctè et specialiter injungitur diligentiùs custoditur et frequenter negligitur quod cum aliis commune tenetur, presentis editi tenore mandamus, ut in singulis vicariis seu bajuliis in quibus sunt multi notarii tabularii per curiam constituti, duo vel unus saltem notariorum secundùm numerum et magnitudinem vicariæ seu bajuliæ ad inquisitiones faciendas deputentur, sic quòd in aliis curiis processibus se occupare non debeant, nisi in subsidium, aliis defficientibus, per vicarium seu bajulum ordinentur.

Super litium alleviatione.

Considerantes ex prorogatione litium et multiplicatione processuum paternos nimis et expensis et laboribus gravari subjectos, quibus etiam nos non minùs gravari sentimus, et ne ut plurimùm ex negligentiâ vel maliciâ judicum hoc contingat, cùm nullus tàm audax inveniatur qui litem possit invito judice prorogare, hoc edito statuimus ut quilibet judex ordinarius coram senescallo vel ejus locum tenente, delegatus verò coram delegante juramentum in publico præstet quod ad abreviationem causarum et processuum amotis calumpniosis et frustratoriis dilationibus diligenter intendet. Specialiter autem in causis appellationum quæ à condempnationibus pecuniariis factis pro excessibus seu criminibus vel in causis fiscalibus emittuntur, quia in eis frequentiùs fideles regios gravamina sentire percipimus. Ad tollendam omnem prorogationis materiam sic consultè duximus providendum, ut videlicet appellans postquam processum causæ principalis a judice a quo apellatur recepit, quod infra xxx dies ad longius ad instantiam apellantis teneatur tradere judex ipse appellationem cum processu judici ad quem appellavit infrà xx dies, nisi judex à quo appellatur breviorem ex causâ statuerit terminum, infallibiliter representet et instanter postulet in causâ procedi. Oblatio verò appellationis et processus hujusmodi petitionis et contestationis litis obtineat vicem. Judex autem appellationis recepto processu et appellatione præmissis, utrique parti x dierum præfigat terminum peremptorium, infra quem utraque pars

quidquid de facto intendit priori processu dicere vel proponere teneatur, sic quòd non audiatur ulteriùs, nisi esset acquisitum noviter vel de novo ad ejus audientiam pervenisset. Sed terminum prædictum x dierum judex appellationum ex causâ possit semel tantùm, secundùm locorum distanciam, minuere vel augere. Præsens autem statutum, quantùm ad præfinitionem temporis infra quod est processus et appellationis oblatio facienda, nolumus ad illas appellationes extendi, propter quas dominum regem extra provinciam existentem, adiri necessario opporteret.

Ut officialibus non residentibus, gagia non solvantur.

Ad hoc enim intelleximus, quòd contra ordinationem regiam clavarii officialibus regiis pro tempore quo ab officiis absque senescalli vel superioris licenciâ se absentant, gagia solverunt, cùm tamen solvere non deberent. Statuimus et jubemus Rationalibus Provinciæ qui nunc sunt vel pro tempore futuro fuerint in ratione thesaurarii vel clavariorum solutionem gagiorum officialibus factam non admittant, nisi fide factâ quòd presentes in officio fuerint vel ex legitimâ, ut permittitur, causâ absentes fuerint eo tempore, pro quo gagia soluta dicuntur. Ad fidem autem faciendam de residentiâ vicarii, si in dubium revocetur, sufficiat juratoria assertio judicis et unius notarii curiæ. Et ità de residentiâ judicis, vicarius cum uno ex notariis suo juramento testetur; ubi tamen vicarius, judex vel notarius non adesset, locum tenens quoad depositionem seu assertionem hujusmodi suppleat ejus vicem.

De confirmatione et observatione statutorum domini Petri de Ferrariis et de pœnâ non servantium ea.

Ad nostram insuper noticiam pervenit, quòd statuta quæ per reverendum patrem dominum Petrum sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopum, regni Siciliæ cancellarium, pro bono statu Provinciæ ordinata, et per celsitudinem regiam confirmata ab officialibus non servantur, jubemus ut officiales singuli in manus senescalli jurare debeant se presentia prædicta statuta inviolabiliter servaturos, et in litterâ commissionis officii de juramento hujusmodi præstito, specialis mentio habeatur. Qui autem eadem statuta prædicta non servaverit officiis et honoribus publicis ut perjuri perpetuò sint privati.

Ut notarii per substitutum sine senescalli licentiâ non serviant.

Quia cujus persona industria eligitur per se servire tenetur, ne

notarius seu tabellionarius qui propter merita personæ debet ad officium ipsum assumi substitutum ponere *possit*, ne lucrum quod ex officio tabularii seu inquisitionis alicujus per ipsum scribentem contingerit, ipsum vendere valeat, hoc edito in perpetuum valituro jubemus. Concedimus tamen ut senescallus vel eo superior possit ad tempus pro necessitatibus aliquem notarium et tabularium habentem ad servitia aliæ curiæ evocare, posito idoneo alio loco sui quandiù ipsum ad quod vacavit servitium duraverit. Notarius verò qui contra præmissa vel aliquid præmissorum fecerit, officio sit ipso jure privatus.

SEQUUNTUR STATUTA

ILLUSTRISSIMI DOMINI ROBERTI,

DEI GRATIA

JEROSOLYMÆ ET SICILIÆ REGIS.

Ricardus de Cambatezâ, miles, regius cambellanus et comitatuum Provinciæ et Forcalquerii senescallus, vicariis, bajulis, clavariis, aliisque officialibus Marsiliæ, Aquis, Arelatis et villarum regiis presentibus et futuris, salutem et amorem sincerum. Litteras patentes regias magno pendenti sigillo munitas recepimus noveritis continentiæ subsequentis: Robertus Dei gratiâ rex Jerosolymæ et Siciliæ, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii comes, senescallis, majoribus judicibus, vicariis et clavariis, aliisque officialibus majoribus et minoribus in prædictis comitatibus constitutis presentibus et futuris fidelibus suis, gratam suam et bonam voluntatem. Regiminis presidentes curis sollicitamur continuis et assiduâ meditatione urgemur, ut juxta nobis creditæ dispensationis officium subjectorum commodis in quorum prosperitate utiquè prosperamus, jungi quantùm nobis ex alto concessum fuerit sollicitudinis intendamus. Amplectimur quippè voluntarios pro ipsorum quiete labores, noctesque transimus insompnes, ut scandala removeamus ab ipsis, et viam maliciis, prout est nobis possibile, percludamus. Sanè cùm in comitatibus Provinciæ et Forcalquerii multa invenerimus correctione digna et aliqua pro bono et pacifico subditorum et prædictorum comitatuum statu de novo provide-

rimus statuenda, volumus et fidelitati vestræ præcipiendo, mandamus ut infrà scripta statuta per nos ordinata vos servetis et servari ab aliis inviolabiliter faciatis. Tu verò senescallus, omnibus universitatibus et civitatibus tuæ juridictioni subjectis per nos statuta et ordinata facias manifesta, eaque in archivo nostro Aquensi ad perpetuam rei memoriam conservari.

De vicariis, judicibus et bajulis, quanto tempore debent in suis officiis commorari.

Statuimus igitur et ordinamus ut vicarii, judices et bajuli sint annuales, nisi eos providerimus ad tempus longius de certâ nostrâ sciencià statuendos. Item constituti jam ad vitam debeant amoveri.

Clavarii et recipientes fiscalem pecuniam ad biennium eligantur.

Clavarii verò et quicunque alii receptores fiscalis pecuniæ ad biennium statuentur, dummodò benè et fideliter se gerant; qui equidem priusquàm officium exerceant caveant idoneæ curiæ de officio ipso exercendo legaliter et reddendi exindè statutis temporibus debitam rationem; et hoc sub certâ pœnâ, ut in fine illius capituli de clavariis continetur curiæ, si contrà fecerint exsolvenda.

Ut redditus sine vicario et judice non vendantur.

Item super receptionem fiscalis pecuniæ ordinationem certa, ad editum per claræ memoriæ regem inclitum dominum patrem nostrum quæ in archivo Aquensi habentur, observent: illa transgredientibus pœnam xxv librarum refforciatorum curiæ solituris; jura curiæ non presumant absque consciencià et consensu vicariorum seu bajulorum suorum et judicum vendere; eaque curent tàm in loco qui vicariæ et bajuliæ, quàm in locis famosis aliis vicariæ et bajuliæ hujusmodi modo debito facere subhastari.

Ut officiales non recedant aliqualiter de eorum officio, ante successoris adventum sine licentià.

Item, post officium eorum finitum de loco ubi illud gesserint non recedant ante successoris adventum cui mandata pendentia et residua quælibet, infra quindenam à die quo successor ille venerit computandam, assignare ipsum successori de juribus curiæ et opportunis aliis informare procurent in scriptis sub sigillis eorum. Deindè quo-

que, infra mensem unum à quindenâ hujusmodi numerandum, debeant coram auditore, seu rationali absque vocatione aliquâ comparere, ad ponendum de dicto officio rationem debitam, non discessuri donec rationem ipsam posuerint et compleverint, et reliqua seu residua omnia solverint thesaurario, nec antè rationis ipsius redditionem et satisfactionem integram, ad officium aliud assumatur. Præterea tamen non obmittant rationem ponere terminis aliàs consuetis. Quòd si non curaverint adimplere præmissa, perdant dimidiam gagiorum unius anni et teneantur ad pœnam. In cautione igitur per eos præstanda debeat juxta officii conditionem imponi ad arbitrium senèscalli cui cura indè incumbit, et nihilominùs ultra pœnam ad prædicta cogantur.

Ne officiales in terrâ originis vel domicilii vel uxoris possint habere officium.

Item, statuimus quòd nullus in terrâ originis vel domicilii proprii aut uxoris possit officium gerere; bajulis tamen inferioribus, custodibus palaciorum et aliis hujusmodi quibus à curiâ gagia non dantur exceptis

De ordinatione notariorum ad inquisitiones faciendas.

Item, volumus et ordinamus quòd singulis vicariis seu bajulis magnis statuantur quatuor notarii quorum duo tribus mensibus vaccent in inquisitionibus faciendis; duobus aliis circa civilia vacaturis. Et deindè duo illi qui in inquisitionibus faciendis vaccaverint, ad inquisitiones faciendas intendant, ità quòd vicissìm laborem invicem patiantur, de tribus mensibus in tres menses; locis etiam aliis ubi erunt notarii pauciores, idem juxta eorum numerum observetur. Notarii verò, quantùm in eis erit, ipsas inquisitiones infra mensem unum ad minùs incipere et complere singulisque mensibus nunciare procurent judici in præsentiâ vicarii seu bajuli et clavarii vel alterius eorumdem, dùm omnes inquisitiones inchoatas et perfectas per eos ipsumque, sub prædictorum testimonio, requirere non obmittant ut inquisitiones ipsas determinet et decidat. Et quâlibet vice quâ deficient in præmissis, solvant pro parte curiæ solidos quinquaginta et nihilominùs officio sint privati. Registrent prætereà ipsi notarii singula quæ per judicem continget fieri mandamenta ne curia perdat latam. Pro scripturâ tamen et extractione mandamentorum cujuslibet, non nisi duo denarii eis dentur. Ubi autem quatuor fuerint notarii statuti, duo mutentur uno anno, et duo alio, ità quòd duo novi informentur de inquisitionibus inchoatis per duos alios remanentes.

De bajulis ponendis in locis Castellanæ, Sedenæ et Barciloniæ, ad gagia clavarii.

Item, volumus et ordinamus quòd ex nunc Castellanæ sit unus notarius tantùm, qui locum bajuli et judicis teneat. Sedenæ verò ponatur unus qui sit bajulus atque clavarius, ad gagia librarum quadraginta per annum. Et Barciloniæ idem fiat.

De bajulo ponendo in loco Brinoniæ et Sancti Maximini, qui etiam clavarius existat in locis prædictis.

Item, in castris Brinoniæ et Sancti Maximini ex nunc statui volumus unicum qui in utroque loco bajuli et clavarii vicem gerat, et in uno ipsorum locorum per duos menses et in altero per duos alios et sic in anteà successivè usque ad finem anni, residenciam facere teneatur.

De bajulis ponendis in locis Forcineti, Luci et Toloni ad gagia XVIII *denariorum pro die.*

Item, Forcineti et Luci sit ex nunc bajulus unicus qui locum gerat utrumque, ad gagia XVIII denariorum pro die, Rocobruna sub vicariâ Draguiniani de cetero existente. Bajulum verò Tholoni ultra XVIII denarios per diem, volumus ex nunc habere pro gagiis, quamvis aliquandùm aliqui forsitan bajuli gagia ibidem consueverunt habere majora.

De visitatione faciendâ per vicarium, bajulum vel judicem ter in anno.

Item, statuimus quòd quilibet vicarius, bajulus, judex vel alter eorum debeat saltem ter in anno ad minùs loca demanii et alia principaliter visitare. Et quâlibet vice quâ in hoc defecerint quadrimestriis temporis gagiorum amissione multentur.

Ut vicarii et judices de tribus in tribus mensibus quaternum ad cameram mittant.

Item, statuimus quòd quilibet vicarius seu bajulus et judex debeant de singulis condempnationibus, latis et trezenis et quâlibet aliâ pecuniâ ad curiam perventura, mittere quolibet trimestri tempore senescallo et auditori rationum provinciæ quaternum sigillo curiæ sigillatum. Et si secùs fecerint X libras refforciatas, pœnæ nomine curiæ nostræ solvant.

Ut judices sex parlamenta in anno facere teneantur.

Item, volumus et ordinamus quòd judices teneantur facere, anno quolibet, sex parlamenta, ità quòd inquisitiones inchoatæ anteà in primo parlamento terminentur in ipsò primo parlamento; inchoatæ post primum terminentur in secundo parlamento, et sic de singulis: sic tamen quòd præterea medio tempore non obmittant condempnare, vel absolvere, perviâ ratione, quotiens casus imminerit. Et tunc debeant quaternum ad senescallum vel ad auditorem rationum, ut præmititur in superiore capitulo, destinare. Inquisitiones prætereà quæ per notarium presentabuntur eisdem modo prescripto, infra mensem unum ad tardiùs, nisi negocii qualitas tempus prolixius aliud suaderet à die prædictæ presentationis et requisitionis in anteà numerandum, debeant finaliter terminare. Qui si contrà fecerint gagiis unius mensis vice quâlibet sint privati.

Ut acta appellantibus mox tradantur.

Item, ne questionum terminationes et decisiones propter deffectum copiæ processus diutiùs quàm decet retardentur, et subjecti proindè graventur indebitis laboribus et expensis, ordinamus et statuimus quòd judices et notarii personis appellantibus, infra tempus ad præsentandum se coram judice appellationum prefixum seu prefingendum quod mensem non transcindat, acta questionum hujusmodi teneantur et debeant assignare. Qui contrà fecerint judices vice quâlibet sint privati gagiis consuetis unius mensis ad opus curiæ retinendis. Et notarii ad poenam xxv solidorum vice quâlibet teneantur.

Quantùm infra vicariam judex à subditis percipiat pro suo labore.

Item, ad obviandum gravaminibus subjectorum, ordinamus expressè quòd nullus ex judicibus particularibus, quandò ibit per vicariam seu bajuliam suam, pro negociis privatorum, suum officium exercendo presumat ab eis recipere, pro expensis et quibuscunque aliis, ultra quinque solidos refforciatos, per diem. Sic etiam quòd si pro pluribus privatis vadat, nil ab eis omnibus in die ampliùs habeat, sed omnes contribuant in ipsorum quinque solidorum solutione prorata. Quòd si vadat pro negociis communibus curiæ et privatorum solvatur ei pro rata per curiam juxta solitum et privatos.

Ne judex pro dictamine judiciorum aliquid percipiat.

Jubemus prætereà ne judex aliquis pro interpositione decreti seu donationis insinuatione ac datione tutelæ seu curæ, quandò propterea principalem locum vicariæ non habebit exire, quodcunque recipiat; quòd si fecerit, pœnâ quadrupli multetur cujus semiduplum danti, et triplum nostræ curiæ solvat. Ubi verò haberet extrâ locum propterea se conferre, quinque solidos recipiat ut prescribitur et non aliter

Ne judices recipiant compromissum.

Interdicimus etiam judicibus ipsis, de cætero, arbitria seu arbitrationes officio durante recipere. Quòd si fecerint unius anni gagia prorsùs perdant. Editum etiam seu sentencia quæ ex arbitrio seu ex arbitratione suscepta protulerunt, cassa sit penitùs atque nulla; sed pro dictando instrumenta processus seu mandamentorum et aliorum hujusmodi, quodcunque recipere non presumant.

Quod nullus officialis recedat de suo officio antè adventum successoris sine licenciâ.

Item, statuimus quòd nullus vicarius, bajulus, judex, clavarius, notarius aut officialis quilibet alius, in tempore commissi sibi officii, recedat ab illo sine licenciâ senescalli, et tunc ad illud redire infra statutum sibi terminum pro senescallo teneatur. Quòd si illicenciatus recesserit vel licenciatus non redierit, infra terminum sibi datum, hoc ipso eodem officio sit privatus, nisi aliter eum morbus evidens excusaret.

De cartulariis notarii mortui.

Item, volumus et ordinamus quòd officialis aliquis cartularia seu protocolla notarii defuncti non commitat alicui notario seu concedat, absque senescalli licenciâ speciali.

Quòd officiales majores non recipiant gagia nisi à thesaurario.

Item, quòd nullus ex officialibus majoribus, cùm ibit per comitatus Provinciæ et Forcalquerii pro negociis curiæ, ultra gagia stabilita, recipiat aliquid ab alio quàm à thesaurario à quo ipso gagia sibi solvi faciat.

Quòd senescallus debeat visitare totam Provinciam singulis annis.

Item statuimus quòd senescallus debeat singulis annis totam visitare Provinciam, nisi eum infirmitas rationabiliter excusaret. Cui quidem senescallo et majori judici tàm presentibus quàm futuris plenam tribuimus potestatem contra minores officiales inquirendi, et quos reos reperierint secundùm justiciam puniendi. Concessa eis nihilominùs licencia, quòd contra diffamatos valeant in inquirendo et puniendo secundùm capitula regni nostri edita per claræ memoriæ dominum patrem nostrum procedere modo, et prout eis videbitur expedire.

De pœnâ officialium amotorum de eorum officio pro delicto.

Item ordinamus quòd officialis amotus ab officio propter malè gesta non possit per senescallum ad aliud promoveri, nisi de speciali nostrâ consciencià et mandato: sic quòd in litterâ nostrâ quæ forsitan indè fiet causa amotionis hujusmodi exprimatur; ultra hoc autem, si certa crimina alia in se habuerit infideliter, per tres menses ad minùs detineatur in carcere, et taliter quòd modo debito, per senescallum et majorem judicem puniatur. Si verò redditus seu proventus curiæ nostræ occupare seu usurpare presumpserit, pro quolibet denario novem ipsi curiæ restituat. Si autem bona stabilia ipsius curiæ, sive jura quælibet permiserit per quempiam vel fecerit occupari, detineatur in carcere usquè ad nostræ beneplacitum voluntatis. Et nihilominùs puniatur secundùm quantitatem dampni illati in bonis stabilibus, si per fraudem in noviplo, si per simplicitatem in triplo.

Ut nullus ordinetur ad officia regia, nisi sit de terrâ regiâ oriundus vel incola.

Item, certâ et rationabili causâ suadente, statuimus quòd ex nunc nullus qui non sit oriundus vel incola de terrâ nostrâ seu regni Siciliæ et comitatuum nostrorum Provinciæ et Forcalquerii et Pedemontis et in eis bona mobilia possideat secundùm commissionem officii committendi, statuatur officialis in regno vel in quovis comitatuum prædictorum, nisi hoc de certâ nostrâ sciencià procederet, vel aliud per nostras litteras mandaremus: plenam et expressam, de verbo ad verbum, facientes de ordinatione hujusmodi mentionem.

De thesaurariis et rationalibus constituendis.

Item ordinamus quòd in comitatibus ipsis Provinciæ et Forcalquerii sit tantùm unus thesaurarius et unus rationalis auditor rationum, cui adjungatur scriptor unus qui per nos dùm præsens erimus vel dùm abierimus per senescallum inibi ordinetur ad adjuvandum auditorem eumdem et custodiendum archivum. Auditor autem, caternos rationum sigillet et sigillatos tradat ipsi notario conservandos.

Qualiter in civilibus et criminalibus appellari potest.

Item pro subditorum compendio volumus quòd in questionibus de rebus mobilibus et condempnationibus pecuniariis per curiam faciendis semel tantùm possit ad majorem judicem appellari, in criminalibus verò putà de morte, membrique mutilatione, et quæstionibus de terris, castris baronum et bonis stabilibus aliis, et juridictionibus, possint ad senescallum secundò appellare. Si inter privatos vertatur quæstio hujusmodi, de hiis cognoscat senescallus, easque decidat adhibito sibi uno ex procuratoribus fisci nostri. Ubi verò curiæ tangeret in causis hujusmodi, tunc ad senescallum ipsum et unum prelatum eligendum per jus secunda appellatio admittatur. In his autem secundis appellationibus, summariè et de plano sine strepitu et figurâ judicii procedatur.

Qualiter exceptio dilatoria et infra quod tempus in causâ civili et criminali, oblato libello, sit proponendâ.

Item statuimus exceptiones dilatorias, prout communis juris etiam regalis est indultum, in ipso judicii exordio proponendas infra triduum à die oblati libelli in civili causâ vel criminali debere proponi; in quibus si de eis in continenti constare non possit, dilationem quam requirit qui objicit, sacramento priùs si de hoc judex decreverit prestito, quòd non tantùm eam causâ differendi judicii ipse convictus apponit, sed quòd eas causæ suæ proficere probare intendit. Ad quod probandum eidem octo dierum terminus qui peremptorius est, per judicem qui de causâ cognoscet, hujusmodi assignetur, nisi reus in longinquis partibus probationes se habere jurat. Quo quidem casu, consideratis locorum distanciis causarum quantitatibus et conditionibus personarum, cognitioni causæ terminus hujusmodi moderetur. Et si in eorum probatione reus defecerit in omnibus expensis sacramento actoris cum

taxatione judicis declarandis ab eo occasione dictæ dilationis factis ipsum duximus condempnandum.

De sacramento calumpniæ præstando et induciæ eo prestito ad proponendas deffensiones assignentur.

Item statuimus, lite contestatâ legitimè, sacramentum de calumpniâ ab utrâque parte præstitum præstari juxta divales veterum principum sanctiones, quorum irremissibiliter subscripto principalis actoris aut accusatoris persona simul omnia quæ probationes seu adminiculum suæ probationis faciunt per se vel per advocatum suum offerat. Et eâdem die vel subsequenti ad plùs, proponat in scriptis, ulterius nullatenùs audiatur, nisi personæ minoris aut mulieris privilegium vel causa alia superveniens allegetur; reus principaliter convictus et accusatus deffensiones sibi de facto competentes in judicio proponere studeat, simulque et semel eas in scriptis per se vel per advocatum suum in prædicto spacio, curiæ dare procuret alias proponat. Eumdem terminum ad oblata probanda recipiant ambæ partes. Quòd si procuratores aut deffensores in hiis in quibus intervenire possint causæ agantur, ea jura procurator alleget, aut deffensor illas deffensiones opponat, quæ principali parte competere non ignoret. Ceterùm si ignorantiam fortè pretendit, jura sua principalis partis conscienciæ poterit reservare, ut causa infrà prædictum terminum quem ambæ partes receperint ad probandum, procurator tàm ea quæ primò apposuit probet quàm ea quæ per duratum litis posteà ad ipsius conscienciam pervenerunt. Terminum autem quem ad probandum in omnibus suprà dictis et aliis quæ judiciorum merita requirunt dedimus, quantùm sine causæ periculo et rerum dispendio fieri potest, per judices qui cognitionibus president in causis omnibus vel assignari breviari jubemus. Ità tamen quòd judices infrà annum à die contestationis litis in anteà numerandum causam ipsam finaliter terminent et decidant sentencialiter. Quòd si fortè infra annum causa non fuerit sentenciâ al ter terminata, volumus quòd, sicut à jure civili scripto causæ civiles infra triennium et criminales infra biennium terminatæ non fuerint, perit causæ instancia; sic si infra annum causa terminata non fuerit, ipso anno elapso instancia causæ pereat, nisi justa impedimenti causa intervenerit, quia tunc volumus questionis decursum et justum impedimentum restitui.

Ut nullus clericus officium aliquod habeat in terris nostris.

Item, statuimus quòd nullus clericus sive conjugatus, sive non conjugatus debeat habere vel possit officium in terris nostris.

Sub cujus rectoris nomine debent fieri præconisationes, et per quos excubiæ et executiones seu personarum captiones.

Et quia sæpè bajuli, vicarii, judices, clavarii, notarii, in disceptationem temerè ducere non verentes eorum officii potestatem, disceptantes de hiis quæ non multùm expendunt, et plura sapere quàm oportet temerariè petentes, dùm deberent subditorum corripere excessus et jura nostra perquirere ac justiciam ministrare, ambiunt insolertè queruntque non querenda, et ut de fortunis propriis disceptationem in publicum, contra bonum statum virorum fidelium, non verentur; huic morbo obviare volentes, consultâ deliberatione providimus, ut vicarii, bajuli præconisationes eorum nomine fieri faciant, non nomine judicis seu officialium aliorum, causâ cognitâ præcedente de consilio judicis. Excubiam et executiones faciant ipsi, vel eorum familia, malefactores deferant et carceri mancipent si eos invenerint delinquentes, à quo non exeant nisi priùs factâ inquisitione et fidejussione idoneâ notarii periculo: quam deliberationem bajulus, vicarius, notarius nec clavarius facere audeant, nec aliorum incarceratorum, pro quibuscunque capti criminibus, sed judex tantùm, vel de ipsius consciencià causâ cognitâ, quæ in ipsius pendet officio sint talia peragenda.

De sentenciis per judicem cum maturitate proferendis, et ad quem spectet cognitio liberationis carceris et torturæ.

Item volumus insuper quòd mandamenta ac sentencias criminales et civiles, cùm ad ipsius judicis spectet officium, tantùm sollicitè et cum maturitate procedat circa inquisitiones quæ per torturam seu terrorem vel alias per judicem sunt complendæ, quæ solum ejus officium, juxta juris formam pertinere noscuntur, sollicitè se habeat, nec sine causâ rationabili diù incarcerationes teneat, cùm ob custodiam non ob pœnam carceris sit custodia adinventa.

In quibus casibus sit carcerario salarium præstandum.

Sed quia hominum et regionum varietate difformiter officialium

regimine est censendum, cùm pro jure curiæ, vel pro fore facto non probabili vel alias pro fidejussione præstandâ, vel pro bono regimine, officiales præcipiunt ut infra curiam quis permaneat sub pœnâ vel banno eidem imposito, nisi in compedibus, vinculis, vel infra carcerem includatur, pro jure carceris nihil solvat. Cùm carcerarii in talibus laborem non sentiant, quia si eos evadere seu recedere contingeret, non carcerariis sed incarcerati est culpa potiùs est adscribenda. Datum Aquis per magistrum Matheum Filmarium de Neapoli, utriusque juris professorem et locum tenentem protonotarii regni Siciliæ, et in ejus absentiâ dilectum consiliarium familiarem et fidelem nostrum, anno Domini millesimo trecentesimo decimo, die vigesimâ secundâ madii, octavâ indictione, regnorum nostrorum anno secundo.

Cupientes igitur ordinationem regiam prout nobis injungitur inviolabiliter observare, volumus et unicuique vestrûm cum omni expressione mandamus quatenùs prescriptam regiorum mandatorum formam et tenorem diligenter attendentes. Statuta ipsa per eamdem majestatem regiam ordinata vos servetis tenaciter, et servari ab aliis sine transgressione quâlibet faciatis. Et ne quis possit super hujusmodi ignorantiam pretendere, subjungimus et mandamus ut statuta ipsa, in quâlibet curiarum nostrarum pro futurâ memoriâ registratis, vos officiales presentes et futuri sæpè statuta ipsa regia publicari et divulgari faciatis, ut illa omnibus valeant esse nota. Datum Aquis die quartâ novembris, nonâ indictione.

De instrumentis reddendis parte debiti solutâ.

Creditorum et usurariorum fraudibus obviare volentes, statuimus ut quæcunque debita vel pars debiti soluta eisdem, ipsum instrumentum originale, in quâ tota debiti quantitas continetur debitori solventi restituere teneantur, licet etiam instanter debitor hoc non petat. Si tamen pars debiti remanet, fiat pro ipso debiti residuo per debitorem sufficiens creditori cautela. Creditor verò qui contra hujus statuti tenorem instrumentum tenuerit pro quâlibet librâ in instrumento contentâ, curiæ solidos decem nomine solvat pœnæ, in quam pœnam incidat ipso facto. Quod etiam ad præterita refferri volumus, nisi, infra duos menses à tempore publicationis presentis editi computandos, creditores qui debitum vel partem debiti receperunt juxta presentis formam statuti, instrumentum velint reddere, vel saltem obtulerint reddere, vel apud publicam personam de loco ubi non invenirent cui reddere. Ut autem hæc ordinationum nostrarum summa

quas sub dissimulatione transire nolumus in singulorum notitiam veniat, sic quòd nullus ignorantiæ causam allegare præsumat, vobis senescallo, vicariatûs auctoritate quâ fungimur, districtè præcipiendo mandamus quatenùs illas statìm per famosas litteras ad loca civitatum nostrarum et ubicunquè expedire videritis publicè divulgari faciatis. Et deindè tàm vos quàm officiales alii præsentes quidem et successivè futuri, sic observetis et observari faciatis ordinationes easdem, quòd ne pœnarum contentarum in ipsis fiatis obnoxii nec paternæ ac nostræ bonæ voluntatis subditi temerarii contemptores valeatis contra nostrum propositum inveniri. In quorum omnium testimonium, præsentes litteras jussimus nostri sigilli pendentis munimine communiri. Actum Marsiliæ et datum ibidem, anno Domini millesimo trecentesimo sexto die VI madii, quartâ indictione. Cupientes igitur tàm pro jure quàm reverentiâ constitutiones hujusmodi quantùm ad nostrum spectat officium, et per eumdem dominum ducem injungitur et mandatur, executioni mandare, ecce quòd constitutiones ipsas discretioni vestræ transmittimus expressè mandantes quatenùs saltìm post receptionem præsentium per loca jurisdictioni vestræ subdita, et prout expedire videritis illas divulgari publicè faciatis solempniter publicari, ut in singulorum veniant noticiam et nullus causam ignoranciæ allegare presumat. Et tàm vos officiales præsentes quàm successivè futuri, sic in anteà constitutiones ipsas in quolibet dictorum capitulorum ordinatas irrefragabiliter observetis, et faciatis ab aliis nobis subditis observari, quòd ne pœnarum contentarum in ipsis fiatis obnoxii, nec dicti domini regis ac nostræ bonæ voluntatis à subditis temerarii inveniamini corruptores. Prædictam autem constitutionem sic patere volumus per publica documenta ut in posterum nullum dubium exoriri valeat quò minùs publicè ipsa, ut convenit, sint secuta.

Expliciunt statuta Provinciæ domini Raymundi Berengarii comitis Provinciæ. Nec non et statuta illustrissimorum dominorum Caroli primi et secundi, Dei gratiâ regum Hierosolymæ et Siciliæ, et reverendi in Christo patris domini Petri de Ferrariis permissione divinâ archiepiscopi Arelatensis et Caucellarii regni Siciliæ, et serenissimi principis domini Roberti primogeniti domini Caroli secundi, ducis Calabriæ et regni Siciliæ vicarii generalis, ac etiam ipsius domini Roberti Dei gratiâ illus'ris Hierosolymæ et Siciliæ regis.

Tamen sequuntur quædam alia statuta, edita per dictum dominum comitem Provinciæ et per illustrissimum dominum Carolum secundum quæ fuerant dimissa ex inadvertenciâ.

STATUTUM

DOMINI COMITIS PROVINCIÆ

SUPER STATU ADVOCATORUM.

(1280?)

Hæc est forma tradita per dominum comitem et ejus curiam super officio advocatorum. In primis jurabit quilibet advocatus antequam admittatur ad advocandum in terrâ domini comitis servare statuta infrà scripta. Primò promittet benè et fideliter pro clientulo suo advocare et nullam injustam causam scienter et contra conscientiam suam manu tenere nec causam sibi commissam protelare seu differre, nisi ob justam causam vel expedientem sibi vel ipsi causæ, nec tractare de compositione sine scientiâ clienticuli sui, et sine fraude et dolo, et nihil accipere ab adversâ parte et advocare pro pauperibus personis, viduis et orphanis; nec dimittere timore alicujus potestatis, dato sibi salario infrà scripto, quodcunque sibi preceptum fuerit à judice nisi justam causam ostenderet quare hoc facere non teneatur. Item advocatus nullam pactionem tangentem causam seu causas habebit cum judice causæ, nec cum aliquo officiali illius curiæ in cujus examine examinabitur seu ventilabitur causa. Nec socius erit cum aliquo prædictorum in hospicio, vel aliquod tractatum privatum habebit cum aliquo prædictorum de advocatione præstandâ alicui nisi concessum à jure. Item quòd nullus notarius contra instrumentum ab eo confectum advocabitur. Item quòd nullus advocatorum qui non habitat... nisi causæ ubi advocat agerentur; sed si alius veniat causâ advocandi quocunquè et undecunquè veniat, non audeat accipere pro advocatione, ultra II solidorum pro librâ, à C librarum infrà : à centum verò libris usque ad quingentas libras sit contentus XVIII denariis pro librâ, et ultrà non recipiat. Et à quingentis libris usque ad mille et ultrà recipiat XII denarios pro librâ, ità tamen quòd quantacunque sit summa, ultra quinquaginta libras salarium non excedat et causam teneatur manu tenere bonâ fide usque ad diffinitiva sententiam prolatam. Et prædicta intelligantur quòd si summa excedat C libras usque ad quingentas vel infrà, quod habeat, de totâ summâ XVIII denarios pro librâ ità quòd de libris C intermixtis non

habeat II solidos pro librâ, sed tamen XVIII denarios. A quingentis verò libris suprà, non accipiat nisi XII denarios pro librâ tantùm, ab unâ scilicet librâ usque ad infinitum, salvo quòd salarium non excedat libras L sicut suprà dictum est. Item quòd nullus advocatorum qui causâ advocandi exibit extra locum, ubi domicilium habeat, accipiat occasione expensarum aliquid ultra V solidos in die, pro tempore illo quo operam dedit vel dabit causæ seu causis pro quibus advocatus eundo et redeundo, vel patrocinium præstando; et si summâ die in pluribus causis advocaverit, possit accipere occasione expensarum VIII solidos in die et non ultrà, et illi proportionaliter à clienticulis contribuant, secundùm qualitatem causarum. Et si ab uno vel pluribus eundo vel redeundo ad causas recepit vel recipere debuerit prædictas summas, ab aliis post modum pro illâ die pro quâ receperit vel recipere debuerit seu potuit ulterius accipere non attemptet. Item nullus advocatus qui habitat in locò ubi causæ in quibus patrocinium præstat ventilentur, ausus sit accipere pro salariò suo ultra XVIII denarios pro librâ usque ad centum libras et à C verò libris usque ad quingentas libras possit accipere pro salario suo XII denarios pro libris C de quibus suprà dictum est quod reciperent XVIII denarios. A quingentis verò libris suprà, possit accipere VI denarios pro librâ, quantuncunque sit summa, ità quòd usque ad quingentas libras possit accipere XII denarios sicut dictum est suprà et de residuo sex denarios sicut suprà dictum est; ità videlicet quòd quantuncunque sit summa, XL libras salarium non excedat. Pro expensis verò nihil à clientulo seu clientulis accipiat nisi esculentum vel poculentum, quod brevi horâ consumi possit, cujus quantitas in die XII denarios non excedat. Item nullus advocatorum prædictorum audeat aliquid petere à clientulo seu clientulis occasione consilii habiti vel habendi tangentis causam illam in quâ patrocinium præstat ab alio sapiente nisi de consensu clientuli seu clientulorum, et quod sciat clientulus seu clientuli, quantùm erit illud quod dabitur et cui dabitur et ipsemet clientulus solvat illi à quo fuerit petitum consilium. Item et de salario advocatorum statutum est quòd advocatus recipiat medietatem sui salarii, postquàm lis fuerit contestata et non antè et aliam medietatem postquàm conclusum fuerit et allegatum in causâ. Et tunc curia compellat partes ad satisfaciendum advocatis, cùm ab eis fuerit requisita antequàm diffinitivè sentencia proferatur, cujus prolationi advocatus teneatur nihilominùs interesse. Si verò antè litem contestatam concordia fieret inter partes, habeat advocatus quartam partem salarii, sive si libellus fuerit porrectus et

dies assignata ad respondendum, sive non, ità quòd ista quarta pars summam c solidorum non excedat. Item quòd nullus advocatus sit ausus clientulo suo vel clientulis consulere aliquo modo, quandò de facto interrogabitur, dùm est coram judice constitutus nisi de licenciâ judicis, qui judex dare teneatur licentiam advocato cùm viderit expedire. Quod autem dictum est, de salario et expensis advocatorum intelligitur quòd non plus accipiant, minùs autem possint. Hæc omnia suprà dicta singula et universa promittent et jurabunt advocati se servaturos bonâ fide et sine fraude. Et nomina juratorum scribentur in cartulario curiæ, in cujus juridictione habitant et literas testimoniales habeant de juramento facto. Antè verò quòd juraverint ut suprà, nullus admittatur ad advocationem. Et si contra prædicta aliquis prædictorum vel aliqui venerint, sit privatus vel privati ipso facto officio advocationis nisi per dominum comitem restituatur. Et vicarii, bajuli, judices, clavarii et notarii cujuslibet curiæ domini comitis jurent omnia suprà dicta quantùm in ipsis fuerit observare. Et si aliquis de advocatis contra prædicta venerit, suæ salutis immemor, teneatur denunciare et denuncietur senescallo.

ITEM ALIUD STATUTUM

DICTI DOMINI COMITIS PROVINCIÆ

SUPER STATU TABELLIONUM.

(1280-90?)

Super officio tabellionis ità ordinatum est per dominum comitem et ejus curiam prout in sequentibus continetur. In primis, de libello ponendo in cartulario II denarios tantùm et de extrahendo III denarios de monetà currente. Item de quâlibet positione ponenda in cartulario I denarium et de extrahenda I denarium. Item de qualibet protestatione et exceptione ponenda in cartulario I denarium et de extrahenda II denarios. Item de quolibet teste de quo dicitur : idem sicut precedens testis, ponendo in cartulario I denarium et de extrahendo I denarium. Et de eo qui dicit nihil scire et de quolibet teste cujus dictum scribitur totum ponendo in cartulario II denarios et extrahendo II denarios. Item de quolibet mandato, seu injunctione seu libello preceptorio ponendo in cartulario I denarium et de extrahendo I denarium et super

primum mandatum seu injunctionem ponatur in cartulario. Item et de extrahendo in papiro VIII denarios et de extrahendo in pargameno XII denarios. Et de interlocutorio I denarium. Et de protestatione et exceptione, et de extrahendo in pargameno III denarios. Item de sciencià à XXV libris suprà usque ad C libras ponendo in cartulario XII denarios et de extrahendo in publicam formam II solidos. Et de C libris suprà usque ad CC libras de ponendo in cartulario et extrahendo in pargameno IV solidos. Et à CC libris suprà, V solidos. Item de sciencià arbitrii idem quod suprà de sciencià judicis. Item de compromisso ponendo in cartulario et de extrahendo in papiro XII denarios pro quolibet. Et si compromissum ponatur in sciencià XII denarios plusquàm in aliis sentenciis et in quolibet quantùm propter adjunctionem compromissi. Item de litteris citatoriis vel debito exhibendo, seu de aliis literis cum sigillo III denarios. Item de instrumento tutelæ vel curæ seu procurationis ponendo in cartulario XII denarios et de extrahendo in publicam formam XII denarios. Item de instrumento syndicatùs illud idem, nisi nomina constituentium usque ad L exprimantur in instrumento; et si exprimantur, tunc de ponendo in cartulario IX denarios et de extrahendo in papiro IX denarios et de extrahendo in publicam formam XVIII denarios. Item de instrumento inventorii à XXV libris infrà ponendo in cartulario XII denarios et de extrahendo in papiro XII denarios et de extrahendo in publicam formam II solidos. Et à XXV libris usque ad C libras de ponendo in cartulario et extrahendo in papiro idem, et in publicam formam IV solidos. Et à C libris usque ad CC libras proponendo in cartulario XII denarios et de extrahendo in papiro XII denarios et de extrahendo in publicam formam VIII solidos. Et à CC libris suprà, X solidos. Item de instrumento emancipationis et adoptionis, arrogationis, de ponendo in cartulario XII denarios et in publicam formam XVIII denarios. Item de instrumento missionis in possessionem, de ponendo in cartulario VI denarios et de extrahendo in papiro VI denarios et in publicam formam XII denarios. Item quandò contingeret notarium exire locum suum, habeat in die pro loquerio bestiæ XII denarios et pro expensis suis et equi II solidos. Die verò quâ exierit locum suum et die quâ redibit ad locum suum, habeat II solidos pro se et pro bestiâ. Item de instrumento baratæ, mutui, depositi, confessionis alicujus summæ à C solidis et infrà, pro ponendo, in cartulario III denarios et de extrahendo in papiro III denarios. Et à C solidis suprà, duplum, quantuncunque fuerit summa. Item de instrumento societatis, cambii, donationis sim-

plicis, sive propter infirmos, sive causâ mortis, sive in emphiteosim, vel à xxv libris suprà, quantuncunque fuerit summa, in duplum. Item de instrumento venditionis à x libris et infrà, ponendo in cartulario et in papiro, pro quâlibet IV denarios et in publicam formam VIII denarios. Et à x libris usquè ad x libras, pro ponendo in cartulario vel extrahendo in papiro, idem, et in publicam formam XII denarios. Et à xxv libris usque ad c libras, pro ponendo in cartulario, VI den. et in papiro VI den. et de extrahendo in publicâ formâ XVIII denarios. Et à c libris suprà, quantacunque fuerit quantitas, idem de ponendo in cartulario, et de extrahendo in papiro et in publicam formam IV solidos. Ubi castrum vel villa venderetur, habeat V solidos usque ad c, quantacunque sit summa vel quantitas, de quolibet miliario ad x miliaria XII denarios, et ultra x solidos non ascendat. Item de instrumento appellationis ponendo in cartulario VI denarios et de extrahendo in papiro VI denarios et in publicam formam VI denarios. Item de instrumento restitutionis à x libris et infrà, pro ponendo in cartulario VI denarios et de extrahendo in papiro VI denarios et de publicâ formâ XII denarios. Et à x libris usque ad xx libras pro ponendo in cartulario, et extrahendo in papiro idem et de publicâ formâ II solidos. Item à xxv libris usque ad c libras pro ponendo in cartulario XII denarios et de extrahendo in papiro XII denarios et de publicâ formâ III solidos. Et à c libris suprà, de ponendo in cartulario et extrahendo in papiro idem et de publicâ formâ V solidos quantuncunque fuerit magna quantitas. Item de instrumento divisionis hereditatis et immissione possessionis idem per omnia. Item de compositione idem quod de divisione hereditatis. Item notarius teneatur facere et legere notam totam in presentiâ partium et sine remissione et ponere in cartulario infra tres dies. Et reddere instrumentum infra mensem postquàm fuerit requisitus, nisi aliter convenirent partes pro dictando instrumento; et tunc substancia facti sive contractûs tota apponatur in presentia partium et legatur et dictata nota teneatur reddere instrumentum ut suprà. Item de literis cum sigillo senescalli citatoriis simplicis justitiæ et de debito solvendo et de legatione judicis, et de litera clausa solvant VI denarios et de aperta XII denarios. Item de incarceratis qui capti sunt sine culpa nihil accipiatur ab aliquo aliqua ratione. Item notarii jurabunt omnia præmissa et singula attendere et observare et si faciunt contrà puniantur in decem libris et priventur ab officio in perpetuum.

ITEM QUÆDAM ALIA STATUTA

EDITA PER

ILLUSTRISSIMUM DOMINUM REGEM CAROLUM SECUNDUM

SUPER

BLASFEMIIS ET PERJURIIS.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, die decimâ sextâ mensis septembris, fuerunt literæ infrà scripsæ presentatæ. Hugo de Vicinis, miles, Provinciæ et Forcalquerii senescallus, vicariis Draguinianiani, Grassæ, Niciæ, et bajulis ac judicibus dictorum locorum presentibus et futuris, salutem et amorem sincerum. Constitutiones per regiam majestatem de novo editas, et in ejus patentibus literis nobis missis contentas nos de novo recepisse noveritis, formæ et continentiæ subsequentis :

Carolus secundus, Dei gratiâ, Jerosolymæ et Siciliæ rex, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii comes, senescallis Provinciæ et Forchalquerii presentibus et futuris gratam suam et bonam voluntatem. Omne nobis est studium ut crediti nobis à Domino benè vivant et ejus inveniant placationem. Intuentes igitur quòd plures subditi nostri in animarum suarum grande dispendium nimis assiduè delinquunt, circa ea quæ inferiùs describuntur; idcircò diligenti deliberatione præhabitâ, communicato multorum consilio sapientium, constitutiones infrà scriptas Deo placentes, pro salute nostrorum edidimus subditorum quas in omnibus terris nostris et subditorum nostrorum comitatuum Provinciæ et Forchalquerii volumus et præcipimus in perpetuum inviolabiliter observari.

Super Blasfemiis.

In primis quidem, quùm blasphema verba et sacramenta de Deo vel de sanctâ et gloriosâ semperque Virgine Dei genitrice Mariâ vel de aliis sanctis Dei dicere presumunt, Deum ad iracundiam provocantes injungimus omnibus abstinere ab hujusmodi blasfemiis verbis. Qui verò contrà fecerit, si burgensis vel miles vel alius nobilis fuerit,

xx solidos regalium coronatorum; si verò plebeus x solidos ejusdem monetæ, nomine pœnæ solvere compellantur. Cujus pœnæ quarta pars solvatur deferenti; residuum verò curiæ. Et si quis pœnam prædictam solvere non poterit ponatur die dominicâ, horâ primâ, publicè in castello, et ibidem usque ad horam comestionis teneatur ut alii hoc videntes à similibus arceantur.

Super Perjuriis.

Item quia quidem contra fidem promissam et suo juramento firmatam temerè, in aliorum prejudicium venientes nomen Domini Dei nostri vilipendendo non verentur, præcipimus quòd tales perjuri, si burgenses vel nobiles fuerint xx solidos regalium coronatorum, si plebei x solidos, temporali curiæ applicandos, pro pœnâ dictæ curiæ solvere teneantur. Et si quis pœnam prædictam solvere non poterit ponatur die dominicâ, horâ primâ, publicè in castello. Et ibidem usque ad horam comestionis teneatur ut alii hoc videntes à similibus arceantur.

SEQUUNTUR QUÆDAM ALIA STATUTA

ET

CONSTITUTIONES PROVINCIALES

EDITÆ A MULTIS PRÆLATIS.

(1337.)

In nomine Domini amen. Antiqui patres sanctitatis gratiâ præditi et tàm exemplo quàm opere beatitudinis munere affluentes, curam pastoralis sollicitudinis salubriter exercentes, sua sæpius concilia celebrarunt, in quibus per justitiæ regulam, suis consuluerunt temporibus opportuno regimine ecclesiasticæ disciplinæ, morum gestus induxerunt laudabiles et subditorum errantium periculis feliciter obviarunt. Ideòque nos permissione divinâ: Gasbertus Arelatensis, Bertrandus Ebrodunensis, et Armandus Aquensis archiepiscopi, prædictorum patrum antiquorum vestigiis inhærentes, et subditorum nostrorum saluti, quantùm nobis ex alto permittitur, prospicere cupientes, de infrà scriptorum episcoporum suffraganeorum nostrorum præsentium, et procuratorum suffraganeorum et capitulorum nostrarum provinciarum absentium consilio et assensu, videlicet: nos Gasbertus Arelatensis archi-

episcopus, cum venerabilibus in Christo patribus dominis eàdem gratiâ, Petro Aurasicensi, Hugone Tricastinensi, Jacobo Tholonensi, Hugone Carpentoractensi, Philippo Cavallicensi, Johanne Marsiliensi, Johanne Avinionensi, et Rocherio Vasionensi; et cum Arelatensis, Aurasicensis, Tricastinsis, Tholonensis, Carpentoractensis, Cavallicensis, Marsiliensis, Avinionensis, Vasionensis capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus; et nos Bertrandus Ebrodunensis archiepiscopus cum Bertrando Senescenci, Elziario Dignensi, Jacobo Glandatensi, Arnaudo Ventionensi, et Guilhelmo Nissiensi, et cum discreto viro magistro Johanne Durandi clerico intitulato in ecclesiâ Grassensi, Grassensis episcopi absentis procuratore, et cum Senescensis, Glandatensis, Grassensis, Ventiensis et Nissiensis capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus; et nos Armandus Aquensis archiepiscopus cum Bartolomeo Forojuliensi, Gaufrido Regensi, Rostagno Sistaricensi et Guilhelmo Aptensi, episcopis nostris subfraganeis, ac cum religioso viro fratre Lantelmo Desparonis priore prioratus de Alamanono, Vapincensis diocesis procuratore, venerabilis patris domini Dragoneti episcopi Vapincensis absentis, et cum Regensis, Sistaricensis, Aptensis et Vapincensis capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus: in loco seu monasterio Sancti Ruffi, ordinis Sancti Augustini, diœcesis Avinionensis, Arelatensis provinciæ supradictæ provinciale concilium celebrantes, prorogatâ primo juridictione de locis per nos Ebrodunensem et Aquensem archiepiscopos, nostrosque subfraganeos presentes, nobis Gasberto Arelatensi archiepiscopo et Johanne Avinionensi episcopo et procuratoribus supradictis hâc vice consentientibus: ad honorem omnipotentis Dei et perexcelsæ gloriosæ Virginis matris suæ totiusque celestis curiæ beatorum et morum reformationem ac delictorum et excessuum correctionem, ac animarum nostrarum et subditorum nostrorum utilitatem, et statum ecclesiasticum salubriùs conservandum: hoc sacro approbante concilio, ad infrà scripta statuta edenda seu eorum aliqua innovanda, reformanda et declaranda processimus ut inferiùs continetur. Protestati tamen fuimus antè omnia, quòd per infrà scripta statuta seu aliqua eorumdem statutis provincialibus seu ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum olim rationalibiter editis in nostris provinciis derogare non intendimus, nisi si et in quantùm dictis nostris statutis infrà scriptis reperirentur per contrarietatem vel alias obviare.

De Missâ Beatæ Mariæ semel in ebdomadâ celebrandâ.

In primis statuimus et communiter ordinamus quòd missa de beatâ

Mariâ, additis collectis: *ecclesiæ sanctæ* et *Deus à quo sancta* in die sabbati si festum, IX lectionum non impediat, alioquin in aliâ vacante feriâ ipsius ebdomadæ, pro pace et tranquillitate ac bono statu ecclesiæ conservando ac inimicis ejus ad cor et penitenciam convertendis solempniter in singulis nostrarum provinciarum ecclesiis celebretur; et ut ad veniendum fideles ferventiùs inducantur, singulis ad dictam missam venientibus verè penitentibus et confessis IX dies de injunctis penitenciis misericorditer relaxamus.

De indulgenciâ associantibus corpus Christi, cum ad infirmos portatur, concessâ.

Si propter Christi reverentiam, sanctis ejus in corde precipitur, dignum est sacrum corpus ejus coli veneratione precipuâ, quod utiquè pro nobis in illius passionis memoriam consecretur. Statuimus igitur et jubemus quatinùs singuli rectores, priores et vicarii ecclesiarum nostrarum provinciarum, civitatum et dyocesum parrochianos suos salutaribus monitis inducere studeant, ut sanctissimum corpus dominicum, dùm presbyter ipsum portat in viaticum ministrandum ægris, reverenter associent ac luminarium adhibitione decenter honorent, illis qui associabunt de die vel de nocte sine luminaribus, X; qui verò cum luminaribus vel etiam luminaria mittent per alium, de die, XX, de nocte XXX dierum indulgentiam ex concessione nostrâ misericorditer relaxamus, dùm tamen verè pœnitentes et confessi fuerint.

De Indulgenciâ concessâ devotè intercedentibus apud Deum pro domino papâ et ejus regimine prosperando.

Item, cùm secundùm sacræ scripturæ testimonium, multùm valeat precatio justi assidua, et quòd oculi Domini super justos et aures ejus in preces eorum, ut Psalmista testatur, piâ deliberatione presentis concilii duximus concedendum quòd quicunque Christianus fidelis verè penitens et confessus nostrarum provinciarum, civitatum et dyocesum, devotas orationes effundere, et pia vota emittere curaverit, presertìm in missarum solempniis, antè Dei majestatis conspectum, à quo cuncta bona procedunt ut per suam ineffabilem clementiam sanctissimum patrem dominum nostrum papam regere et in suæ pacis gratiâ conservare, ac custodire, fidemque catholicam toto orbe terrarum multiplicare dignetur, videlicet quilibet nostrorum archiepiscoporum per totam suam provinciam, et quilibet nostrorum episcoporum per

totam suam civitatem et dyocesim de injunctis sibi pœnitenciis XL dies misericorditer relaxamus.

De Indulgenciâ concessâ fidelibus, audito nomine Jesu, inclinantibus se devotè.

Cùm fe. m. dominus Gregorius papa decimus per sacrum constitutionis oraculum invitaverit quoslibet christiani nominis charactere insignitos, ut nomen illud quod est super omne nomen, à quo non est sub cœlo aliud datum hominibus nomen, videlicet Jesu Christi, exhibitione reverentiæ specialis attollerent, et precipuè dùm aguntur sacra mysteria, illico quàndocunque recolitur, veneratione dignum devotâ capitis inclinatione monstrarent; nos de nostrorum subditorum salute solliciti, volumus ut singuli rectores ecclesiarum et vicarii nostrarum provinciarum et dyocesum ad hoc ipsum faciendum plebeos sibi subjectos moneant efficaciter et inducant, et ut illi id libentiùs faciant, quo uberioris retributionis premium exindè censerint proventurum, nos singulis in illius gloriosi nominis memoriâ se inclinantibus reverenter, utiquè verè pœnitentibus et confessis, x dierum concedimus indulgenciam quotiens, ut prefertur, id fecerint, valituram.

De claudendis fontibus baptismalibus, ne quid in eis sordidum immittatur.

Item, cùm sacri fontes in quibus originalis aboletur culpæ contagium per baptismalis aquæ visibile sacramentum coli debeant digno venerationis honore, ut nec indevotis contrectationibus pateant, nec extrinsecùs advenientium inquinamento sordescant, statuimus igitur ut singuli parrochialium ecclesiarum rectores nostrarum provinciarum, civitatum et dyocesum in quibus sunt fundati fontes hujusmodi eos infrà instans festum nativitatis dominicæ habeant sic claudi cum clavibus et faciant aptari et clausos teneant et aptatos, quòd nullus sordibus ad illos ingressus immineat, potiorque reverentia illius quòd ibi traditur sancti sacramenti habeat; v solidorum pœna quibuslibet feriendis qui hoc contempserint agere, in opus ecclesiæ, vel pios usus alios ad nostrum arbitrium solvendorum.

De sacramento Eucharistiæ in tempore pascali à parrochialibus solùm presbyteris ministrando.

Item, desiderantes illud preceptum generalis concilii pro animarum salute et catholicæ fidei testimonio salubriter institutum, quod omnis

utriusque sexûs postquam ad annos discretionis pervenerint reverenter recipiant ad minùs in Paschà Eucharistiæ sacramentum, sic à Christi fidelibus sollicitudini nostræ concessis efficaciter observari, quòd nulli quesitis coloribus à simulatis devotionibus vel alias dùm ab aliis quàm à propriis sacerdotibus recipere velle se asserunt corpus Christi, fraudem querentes facere canoni, fraudant potiùs semetipsos; presentis deliberatione concilii, statuimus inhibendo quòd curati nostrarum civitatum, dyocesum et provinciarum, nulli parrochiano suo, cujuscunque conditionis aut sexûs existat, in festo Paschæ, nec in VIII diebus precedentibus immediatè et VIII subsequentibus, concedant licenciam recipiendi, nisi ex causâ infirmitatis, nec etiam alicui ministrandi seu conferendi sacramentum Eucharistiæ, extra ecclesias suas parrochiales, vel alias ecclesias ubi per ipsos curatos extitit ministrari consuetum. Si qui autem curati hujus statuti fuerint transgressores, auctoritate presentis consilii excommunicationis incurrant sentenciam ipso facto. Prelati autem sic presens statutum diligenter observent, ut alicui nisi ex causâ rationabili recipiendi sacramentum prædictum illo tempore, alibi quàm in parrochiali ecclesiâ licenciam non concedant.

Ut beneficiati et in sacris ordinibus constituti in diebus sabbati à carnibus habeant abstinere.

Item, cùm deceat viros ecclesiasticos, præsertìm beneficia ecclesiastica obtinentes, in modo vivendi sic inter homines exemplariter conversari, ut layci eorum informentur exemplo, non autem ex clericorum abusu corruptis moribus deformentur, statuimus quòd clerici beneficiati aut in sacris ordinibus constituti, ab indè in anteà semper in diebus sabbati pro honore beatæ Mariæ à carnibus abstineant, nisi ex causâ necessitatis; de quâ comedentis conscientiæ relinquatur, vel nisi festum nativitatis Domini in die sabbati contingerit evenire; alioquìn contrarium facientes pro qualibet die qua carnes comedere attemptaverint, per unum mensem ipso facto ab ingressu ecclesiæ sint suspensi.

Qualiter prælati possint benedicere in dyocesi alienâ.

Item, statuimus quòd quilibet nostrorum archiepiscoporum prædictorum et singuli episcopi provinciarum nostrarum, dùm transitum facient per dictas provincias, possint etiam in aliâ dyocesi dictarum provinciarum populum benedicere ut ex hoc populi devotio augeatur et etiam in dyocesi Arelatensi, Aquensi, Ebrodunensi, civitatibus exceptis dumtaxat, et aliis locis in quibus alter ex nobis dictis archiepi-

scopis vel dyocesanis presens esset; ut si contingat in pontificalibus celebrare vel prædicare, vel facere coram se prædicari, possint benedictionem episcopalem et indulgentiam concedere, et vestes, altaria, ornamenta benedicere, et calices et altaria portatilia consecrare. Item sententiam excommunicationis vel interdicti latam ab uno, alio denunciari et observari faciant cùm à proferente super hoc fuerint requisiti; addentes quòd prædictæ sententiæ excommunicationis et interdicti non nisi ex justis causis et cum maturitate et sollempnitate proferantur.

De sentenciâ excommunicationis latâ ab ordinario, exigente excommunicati inobedienciâ, per prælatos et alios publicandâ.

Item, statuimus quòd ex quo per propriam civitatem et dyocesim lata per prælatum aliquem excommunicationis, suspensionis vel interdicti sentencia, competenti tempore fuerit publicata, et ibidem exigente rebellium et inobedientium duritiâ, per decem dies extiterit solempniter et publicè aggravata, ex tunc requisito proprio metropolitano seu ejus officiali, et approbatam publicante seu publicari faciente dictam sentenciam, licitum sit eidem prælato hujus auctoritate concilii, cæteros episcopos et prælatos requirere, ut ipsius sentencias quarum tenorem et causam declaret in scriptis, in suis districtibus servent et faciant observari, publicent et faciant diebus ad hoc congruentibus publicari.

Ut censura ecclesiastica sic exigente contumaciâ exerceatur, quòd nullus eâ ultra juris tramites abutatur.

Item cùm censura ecclesiastica sit eo moderamine à viris ecclesiasticis exercenda, quòd officium debitum operando non cogatur ad noxam et scandalum tendere, quæ ad medelam et remedium est inducta, et excommunicationis lata sentencia contra contumaces et in excommunicationis sententia dormientes possit expressis à jure provisionibus agravari, quod ad peregrinas adinventiones et multipliciter perniciosas recurrere sit tàm inutile quàm dampnosum; statuimus quòd ab indè in anteà nullus ecclesiasticam juridictionem exercens contra excommunicatos ab ipsis, quantocunque tempore excommunicationis sentenciam animo sustinuerint indurato, procedat ad faciendum projici lapides in domum excommunicationis sentencia innodati vel ad faciendum venire capellanum indutum veste sacerdotali, vel alias ad domum excommunicati prædicti, vel ad portandum libitinam seu

feretrum vel alia similia quæ à jure non reperiuntur expressa, sed aliis à jure provisis remediis utatur ad pœnam contumacium agravandum. Exercentes autem juridictionem ecclesiasticam hujusmodi qui contrarium fecerint, excommunicationis incurrant sentenciam ipso facto nec subditi nostri curati vel alii eisdem teneantur in prædictis aliqualiter obedire.

Qualiter contra illos qui excommunicationis sentenciam contempnentes exemplo perniciose peragunt procedatur.

Cæterùm abhominalis, proh dolor! sicut ad nostrum tàm de longinco quàm e vicino pervenit auditum, in quibusdam partibus inolere incepit abusio. Nam aliqui filii Belial, qui nec Deum timent, nec homines reverentur, iniquitatem bibunt ut aquam: qui dùm sentencias vilipendunt, dùm medicinam quæ fuerat ad salutem rejiciunt, mortis incurrunt periculum et ad interitum, suæ perversitatis exemplo, nonnunquàm inducunt alios et seducunt. Isti siquidem in Dei opprobrium et in contemptum promulgatoris et sentenciæ promulgatæ neglectum, non minùs viliter quàm dampnabiliter procedere, imò veriùs execrabiliter excedere non formidant, ut potè dùm adulterium presbiteri vel prælati confingentes, officium et jurisdictionis usurpantes ministerium, excommunicationem, imò veriùs execrationem, versa sed perversa vice in excommunicatores seu denunciatores suos, simulare presumunt, accensos palearum fasciculos aut candelas de cepo, seu carbones, seu tizones ardentes, in patellis, conchis aut sartaginibus vel similibus, vituperabiliter extinguendo. Cùm igitur talia et hiis similia in Dei vergant opprobrium, et in ecclesiasticæ disciplinæ redundent contemptum: statuimus et sub pœnâ excommunicationis inhibemus, ne quis clericus vel laycus, cujuscunque ordinis, dignitatis, conditionis vel statûs existat, rem tantæ perniciei de cætero per se, vel per alium aut per alios aut alias attemptare presumant. Qui verò hujus saluberrimi statuti transgressor extiterit, et infrà triduum ex indè competentem non exhibuerit, ex tunc se sciat ipso facto excommunicationis vinculo innodatum; et locus aut villa ubi hæc vel similia, domino loci sciente, vel mandante, vel ratum habente, vel postquàm requisitus fuerit, vel ejus locum tenens, infra decem dies corrigere negligente, præsumpta fuerint, ecclesiastico tamdiù sit et remaneat suppositus interdicto, donec ad mandatum ecclesiæ, quam delinquens offendit et prælato quem irreverenter despexit, sufficiens et ydonea satisfactio, et realis emenda præstita fuerit, per eumdem: quam, cum in talibus non sit relaxanda

vindicta offensus prælatus non remittere valeat ullo casu, sed eisdem pœnis subjacere volumus illos et illas qui vel quæ talia fieri mandaverint; vel alias opem vel operam aut consilium præbuerint, si rem tàm detestabilem prodire contigerit detestabiliter in effectum : addito, quod eorum posteri usque ad secundam generationem in clericorum collegium nullatenùs admittantur, nisi priùs per metropolitanum cum uno subfraganeorum, fuerit super hoc misericorditer dispensatum. Si verò clericus beneficiatus, vel in dignitate seu personatu vel officio constitutus, taliter excesserit : ultra pœnam laico inflictam, beneficio, si quod in provinciis nostris obtinet, sit ipso facto presentis concilii auctoritate privatus : non beneficiatus autem, ad obtinendum beneficium ecclesiasticum sit ex tunc inhabilis et indignus.

Ne ecclesiasticæ personæ titulum jurisdictionis quam pacificè possiderunt secularibus ostendere teneantur.

Item quòd seculares domini, cujuscunque conditionis existant, vel baillivi seu officiales eorum qui prælatos vel alios ecclesiarum rectores cogunt ostendere, quare merum vel mixtum imperium, aut justicias altas, medias vel minores tenent, licèt tenuerint pacificè multis annis, et si coram eis hoc non probent, usurpare, accipere et sibi applicare sine alia causæ cognitione, motu proprio, non verentur: si à talibus excessibus desistere moniti neglexerint, et ad usurpandum sine alia rationabili causa processerint, tàm ipsi quàm illi qui eis in hâc parte obedient, excommunicationis incurrant sentenciam ipso facto.

Ut persona ecclesiastica per nullum judicem temporalem in criminalibus vel personalibus distringatur.

Item quòd nullus dominus temporalis vel judex seu delegatus ejusdem, cujuscunque conditionis, dignitatis vel status existat, clericum vel personam ecclesiasticam aut religiosam, coram se, super criminalibus vel personalibus citet vel citari faciat, seu quoquomodò distringat, exceptis causis feudalibus in casibus à jure concessis. Quòd si fecerit et in hoc perstiterit et infra dies VIII non se correxerit, et quod incautè presumpsit non relaxaverit, ex tunc sentenciam excommunicationis incurrat.

Ut clericus contra clericum ad judicem secularem vel alium laycum pro faciendâ justiciâ vel inferendâ violenciâ non recurrat.

Item prohibemus statuendo et statuimus prohibendo ut nulla persona ecclesiastica de clerico vel persona ecclesiastica qualitercunque,

conquerens super spiritualibus vel ecclesiasticis, aut criminalibus vel personalibus quibuscunque, recurrat ad curiam vel principem aut alium dominum secularem vel laycum quemcunque super justicia facienda, vel violencia clerico, in persona vel rebus ad eum pertinentibus, inferenda : nec cum ipso vel ipsis super eisdem, sine consciencia prælati vel officialis sui, pactum aliquod inire presumat, nec factum observet; alioquìn querelam exponens vel denunciationem faciens et in eis persistens vel paciscens, et pactum observans, à jure suo eo ipso cadat, nulla alia super hoc sentencia expectata et donec super hoc ad arbitrium prælati satisfecerit : omni beneficio ecclesiastico quod obtinet noverit se suspensum et ab obtinendo indignum.

Provisio contra illos qui bona et jura ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum subtrahunt, diminuunt, dissipant et invadunt.

Quoniam aliqui, suis finibus non contenti, passìm aliena diripiunt et ecclesiasticas libertates infringere non verentur; approbante presenti concilio, statuimus, quòd quælibet persona sæcularis aut ecclesiastica, nobilis aut alia, cujuscunque proheminentiæ, dignitatis, officii, conditionis aut statûs fuerit, quæ ecclesias aut capellas, seu earum ciminteria, hospitalia, reclusoria, domos, possessiones, loca, villas, castra, census, tascas, trezena, laudimia, vintena, feuda, lesda, pedagia, molendina, piscarias, pasqueria, sive reclausas, jurisdictiones seu alia quæcunque jura seu etiam eorum homines, aut familias aut animalia, seu bona quælibet immobilia seu mobilia, quæ quidem mobilia valorem x solidorum monetæ currentis excedant, sive domos religiosas, aut hospitalia, seu reclusoria vel leprosaria quomodolibet invadere, capere, occupare, detinere, pignorare, seu gadiare per se vel per alium, vel inquietare quomodolibet, seu turbare; nec non et qui contra ecclesias sive capellas, aut clericos, sive personas ecclesiasticas sive earum homines, loca, villas, castra seu mansiones, aut contra libertates ecclesiasticas, vel domos religiosas aut hospitalia, seu reclusoria, vel leprosaria quomodolibet edere, vel facere quævis statuta seu banna vel preconizationes, aut novitates quascunque, sive quibuscunque ex prædictis directe vel indirecte violencias, aut molestias irrogare; seu eis super bonis quibuslibet ecclesiasticis seu patrimonialibus, quæstas aut tallias, angarias sive perangarias aut necessitates quaslibet aliqualiter imponere vel inferre; sive domos ecclesiarum aut clericorum seu personarum ecclesiasticarum, occasione quacunque serrere sive claudere quoquo modo seu eorum bona quæcunque bannire, seu etiam

vias novas aliquas ubilibet adinvenire vel facere, per quas ecclesiæ seu earum villa, castra vel loca in pedagiis seu lesdis aut quibuslibet aliis juribus possint in aliquo diminui vel etiam pejerari; sive itinera aut vias, stratas publicas aut privatas, infra limites sive territoria, vel districtus locorum, villarum sive castrorum ecclesiasticæ jurisdictionis, auferre vel sibi quomodolibet apropriare, attribuere seu etiam applicare vel terminos eorum arctare presumpserit seu attemptaverit per suam potenciam aut violenciam sive maliciam; aut in dictis vel aliquo prædictorum, mandatum dederit, auxilium, consilium seu favorem, publicè vel occultè, nisi infra sex dies super hiis à die captionis seu invasionis, attemptationis, turbationis, vel inquietationis sive presumptionis hujus per emendam aut revocationem debitam seu alias, ut res exegerit, plenè satisfecerit, excommunicationis sentenciæ subiaceat ipso facto. Quam siquidem excommunicationis sentenciam, cum de premissis seu eorum aliquibus cuilibet ordinario vel ejus officiali summarie constiterit aut de plano ex mero officio et sine strepitu judicii et figura, volumus et statuendo mandamus exsequtioni debitæ per ipsum quemlibet ordinarium seu officialem ipsius certificatum de plano, mandari per universas ecclesias nostrarum provinciarum, civitatum et dyocesum, sicut viderit commodiùs expedire. Super quo tàm in genere quàm etiam contrà quascunque personas singulariter nominandas, plenam habeat facultatem, et insuper etiam ad agravandam hujus sentenciam prout ei videbitur expedire. Et si dominus vel rector civitatis, castri, villæ vel loci alicujus aut officialis ejus in prædictis vel aliquo prædictorum culpabilis fuerit, et per sex dies in excommunicatione perstiterit: civitas, castrum, villa, vel locus hujusmodi ecclesiastico subjaceat interdicto. Si verò universitas deliquerit in prædictis, illi qui universitatem vel singulares personas ad id induxerint, commoverint, vel deffenderint, et singuli qui in aliquo præmissorum culpabiles fuerint, post sex dies ipso facto sentenciam excommunicationis incurrant. Universitas verò ipsa, nisi infra x dies emendam fecerit competentem, ecclesiastico subjaceat interdicto. Si verò injuria prædicta per alium quemlibet illata fuerit et dominus vel rector aut officialis infra cujus jurisdictionem prædictam injuria fuerit irrogata, requisitus per ordinarium seu vicarium vel officialem ejusdem, aut locum tenentem vel vices gerentem aut etiam delegatum, infra x dies satisfactionem vel emendam fieri non fecerit competentem, excommunicationem se noverit incurrisse, quam si per x dies sustinuerit, terra cui præfuerit ecclesiastico subjaceat interdicto.

Provisio facta contra illos qui bona et jura ecclesiastica vel ecclesiasticarum personarum invaserunt, vel quomodolibet occupaverunt.

Item statuimus et ordinamus quòd quæcunque persona cujuscunque gradûs, dignitatis, statûs vel conditionis existat, quæ bona quæcunque sive jura ad ecclesias vel ecclesiasticas personas quaslibet pertinentia detinet occupata, vel quæ in prejudicium ecclesiarum seu ecclesiasticarum personarum et jurium earumdem, aliquas fecerit indebitas novitates plenè restituat et cum effectu revocet et satisfactionem faciat infra mensem, postquàm fuerit requisita. Et si universitas vel dominus seu rector aut officialis fuerit in prædictis culpabilis, universitas ipsa et locus hujusmodi ubi prædicta seu aliqua præmissorum commissa fuerint, si sub ejus dominio fuerint, alioquin locus suus, ubi habet suum domicilium principale, ecclesiastico subjaceant interdicto. Universitatem autem sufficienter requisitam quoad presens propositum reputamus, cum dominus vel officialis qui ibi præfuerint, nominatim expressâ injuriâ, ut eam revocari faciat fuerit requisitus, vel cùm per tres dies dominicas publicè, dùm celebrantur divina mysteria per sacerdotem parrochialem vel ejus locum tenentem de mandato ordinarii, vel officialis ejusdem significatum fuerit quòd de injuriâ, novitate et dampnis nominatim exprimendis, satisfaciat competenter.

Ut hii qui res ab ecclesiis qualitercunque tenent, in alienatione earum, sicut et notarii instrumentum de alienatione hujus facientes, teneantur de jure ecclesiarum expressam facere mentionem.

Item cùm quidam suæ salutis immemores, tenentes ab ecclesiis castra, villas, domos, terras, nemora, prata, seu quasvis alias possessiones in emphiteosim, vel sub certo feudo, dominio, senhoriâ, censu, servicio, pensione vel prestatione quâcunque, plerumquè illas vel illa vendunt, permutant, vel donant seu alias ignorante domino distrahunt, nulla de emphiteosi, feudo, dominio seu senhoriâ, censu, servitio, pensione vel prestatione, quòdve ab ecclesia teneatur, habita mentione; quinimò interdum ipsas seu ipsos, tanquam ab omni censu, servicio, pensione, seu quovis alio jure ecclesiis debito liberas, alienant: Nos tàm saluti talia volentium attemptare, quàm indempnitati ecclesiarum providere volentes, statuimus quòd quicunque tenens ab ecclesiis nostris vel nobis subjectis, castra, villas, domos, possessions vel alias res immobiles, seu loca vel jura, cùm

ad venditionem, donationem, permutationem vel quamvis aliam alienationem earum vel eorum, duxerint procedendum, de feudo, emphiteosi, etiam si canon vel pensio propria non solvatur, censu, servicio vel senhoriâ, pensione seu quâvis aliâ prestatione eisdem ecclesiis debitis, etiam si in alienatione de jure vel consuetudine non sit illius à quo tenetur requirenda sciencia vel consensus, expressam debeat facere mentionem. Aliàs si aliquod prædictorum ecclesiis debitorum in contractu seu alienatione hujusmodi negaverit, vel scienter omiserit, excommunicationis incurrat sentenciam ipso facto; eamdem pœnam incurrat notarius qui scienter, sine expressione hujusmodi jurium de contractu fecerit instrumentum.

Ne quis in loco suo retineat bona ecclesiastica alibi indebitè ablata.

Item quòd loca ad quæ bona ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum per violenciam manifestam seu notoriam injuriam, sine causâ probabili ablata, occupata seu arrestata devenerint, tamdiù post x dies ex quo significatum fuerit locorum domino vel rectori, interdicta sint et permaneant, quamdiù bona hujusmodi ibi fuerint et competens non exhibeatur emenda.

Ut secularis potestas clericum per ipsam captum citò judici suo restituat nihil exigens ab eodem.

Item quia privilegium meretur amittere qui permissâ sibi abutitur potestate, attendentes quòd nonnulli domini temporales, vicarii et alii secularium curiarum officiales, obtentu seu occasione aliquarum licenciarum, ex causâ eis ad certum tempus, vel simpliciter, vel ad certas personas, ab archiepiscopis et episcopis concessarum, hâc occasione, prout comperimus, manus temerarias ad capiendum clericos passim et indifferenter aliasque personas ecclesiasticas incurialiter, et eo modo quo possunt turpiùs ad majorem confusionem ecclesiæ atque cleri, excedere non verentur; quinimò ipsos suis mancipant carceribus et ibidem nonnunquàm radi faciunt totaliter, seu radi et permutare habitum permittunt, ut palliare possint excessus suos et illos confingere clericos non fuisse vel non esse in possessione clericatûs, vel quasi, in suarum periculum animarum et enervationem ecclesiasticæ libertatis; prohibemus ne aliqua talia vel similia nullatenùs de cætero attemptent, revocantes ex nunc licentias sub quâcunque formâ verborum super hujusmodi captionibus aut detentionibus generaliter vel spe-

cialiter per litteras vel alias oraculo vivæ vocis vel quomodolibet faciendis concessas. Alioquin contrarium facientes, cujuscunque statûs, conditionis vel dignitatis existant, sive sint layci sive ecclesiasticæ personæ, regulares vel etiam seculares, hanc nostram excommunicationis sententiam quam in hiis scriptis presentibus ferimus, incurrere volumus ipso facto, nisi forte in eo dumtaxat casu cùm scilicet eos adhuc flagrante crimine capi contingit, antequàm ad alios actus extraneos divertant, rectâ viâ eos ad curiam ecclesiasticam duxerint et eos restituerint sine fraude. Si verò de nocte tales ceperint, debeant ultrò in crastinum, sine retentione bonorum ipsorum et lesione personarum sine requisitione aliâ reddere eos curiæ suprà dictæ; nec eis liceat aliquid à captis hujusmodi dono vel gratiâ sub colore aliquo extorquere, vel recipere gratis data. Quòd si in castris vel villis captionem hujusmodi fieri contingat, adducant ipsos ad ecclesiasticam curiam, vel transmittant quamcitius sub fidâ custodiâ, in expensis ipsius curiæ moderatis. Quòd si secùs egerint vel in fraudem super hoc aliquid attemptaverint, eadem sententia involvantur; et si clericum detentum de loco ad locum mutaverint, omnia illa loca tamdiù remaneant interdicta, donec clericum captum cum armis et omnibus aliis rebus suis, dyocesano restituerint et de injuriâ irrogatâ ad arbitrium dyocesani satisfecerint, et ipsa sentencia per ipsum fuerit relaxata.

Ut defferentibus litteras pro jurisdictione ecclesiasticâ exercendâ nulla injuria vel violencia inferatur.

Cùm justiciæ jus suum cuilibet tribuenti et ipsius ministris ac rei publicæ plurimum detrahatur, si processus ipsorum ministrorum justiciæ, iniquorum contingat machinationibus impediri : nos volentes talem justiciæ cultum impedientium ausus temerarios timore cohibere ecclesiasticæ disciplinæ, provisione presentis concilii duximus statuendum quòd si quis cujuscunque conditionis aut statûs existat, nuncios aut exsequtores nostros et subfraganeorum nostrorum, officialium et vicariorum seu eorum locum tenentium, vel vices gerentium aut alias literas et scripturas judiciales nostras, vel subfraganeorum, vicariorum et officialium prædictorum defferentes, hâc occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, interficere, vel mutilare, seu literas vel scripturas prædictas aufferre, seu eas rumpere, cancellare vel destruere quoquomodò, vel ablata celare, vel defferentes compellere ad frangendum, vel, ut verbis eorum utamur ad manducandum hujusmodi literas vel scripturas, aut quòd

prædicta seu aliqua prædictorum fieri procuraverit, aut facientibus dederit consilium et favorem : excommunicationis sententiæ quam ex nunc ferimus subjaceat ipso facto; à quâ, nisi priùs judici cujus auctoritatem contempserit, et passo injuriam et cæteris quorum intererit, prout excessûs exigit atrocitas, satisfecerit, nullatenùs absolvatur.

Prorogatio jurisdictionis in invasores et occupatores ecclesiasticorum bonorum ac jurium exercendæ.

Item cùm quantò quis passus injuriam in majori statu existit, tantò atrocior injuria judicetur, et idcircò sit cautiùs et uberiùs providendum : statuimus, ut si cui nostrûm archiepiscoporum et episcoporum vel ecclesiarum nostrarum familiarium in personis vel rebus fuerit injuria vel violencia irrogata, vel possessio seu quasi turbata sit : possit quilibet ex nobis archiepiscopis, episcopis et nostris officialibus et vicariis, et vices gerentibus, et loca tenentibus eorumdem procedere, de jure, consuetudine vel statuto, contra injuriatores, violatores et turbatores hujusmodi si in propriâ dyocesi facta essent; sic etiam possit, si extra propriam dyocesim et provinciam, dùm tamen infra nostras provincias sint commissa, simpliciter et de plano sine strepitu et figurâ judicii, nec non citare, informationes recipere, inquirere, diffinire et declarare, et omnem jurisdictionem et censuram ecclesiasticam exercere ad satisfactionem sufficientem et debitam obtinendam. Per hoc autem non intendimus quòd ordinario prejudicium generetur, quin etiam ex officio possit procedere ad pœnam debitam imponendam, et etiam ad faciendum satisfieri injuriam passis, si ab eis fuerit requisitus. Et ut prædicta omnia et singula roboris teneant firmitatem, nos omnes archiepiscopi, episcopi, procuratores episcoporum absentium, habentes ad hoc mandatum sufficiens, super hiis plenam et expressam concedimus facultatem ; nec objici valeat contra tales processus, quòd extra territorium jus dixerit sic procedens, quia quoad præmissa et quælibet præmissorum jurisdictionem nostram et nostrûm cujuslibet vicissìm inter nos prorogavimus, vices nostras nobis ad invicem ac dictarum provinciarum, civitatum et dyocesum, singulisque officialibus et locum tenentibus, presentibus et futuris in solidum committentes, universis nostris subditis injungentes, ut in præmissis ordinario aut ejus officiali aut locum tenenti, sic procedenti pareant et intendant. Quòd nisi fecerint, possit procedens per censuram ecclesiasticam animadvertere in eosdem. Et nihilominùs si nos archiepiscopi aut episcopi per sic procedentem requisiti, prætermiserimus suas in hâc parte requi-

sitiones aliquatenùs exaudire, aut id super quo requisiti fuerimus non curaverimus perducere in effectum : sic non exaudiens, nec ad effectum producens per unum mensem auctoritate presentis concilii à pontificalibus eo ipso sit suspensus, presenti statuto per decennium et post illud decennium, nisi iterùm revocatum fuerit, valituro. Ità tamen quòd per hoc sic procedenti in alienâ civitate vel dyocesi, nullum jus aut jurisdictio in posterum ex longinquitate temporis vel aliàs post statum proximè terminum acquiratur.

Ut excommunicati ad nullum publicum officium admittantur.

Item statuimus quòd excommunicati in judices, rectores, consules, bajulos, potestates, assessores vel notarios, vel ad alia quævis publica officia nullatenùs assumantur, nec etiam admittantur ; et si de facto admissi fuerint, sentencia per eos vel eorum auctoritate lata et quicunque processus per eos vel eorum auctoritate in judicio vel extrà habiti, et monimenta coram eis vel per eos facta, nulla et nulli sint ipso jure. Et nihilominùs quicunque cujuscunque dignitatis, statùs aut conditionis existant, si tales excommunicatos ad aliquod officiorum prædictorum scienter assumpserint, vel assumptos per alios approbaverint vel confirmaverint, excommunicationis incurrant sentenciam, ipso facto; et si requisiti per ordinarium, vel alium ejus nomine, excommunicatos infra x dies à tempore requisitionis, à prædictis officiis sic assumptos non amoverint cum effectu : loca illa in quibus ad aliquod prædictorum officiorum assumpti fuerint, sint et tamdiù remaneant ecclesiastico supposita interdicto, donec sic excommunicati à susceptis officiis, realiter et sine fraude, et absque aliquà restitutionis spe quamdiù in excommunicatione perstiterint, sint amoti. Universitas autem civitatis, castri vel villæ, quæ excommunicatos et in ecclesiâ publicè denunciatos, ad aliquod prædictorum officiorum assumpserit vel elegerit, ubi eis aliàs hoc liceret, ecclesiastico etiam sit supposita interdicto.

Ut nullus sine superioris licenciâ alicui quomodolibet debeat vendere toxicum vel alia venenosa.

Item statuimus, et sub pœnâ excommunicationis districtiùs inhibemus ne quis apothecariorum vel quisvis alius cujuscunque conditionis vel sexûs existat, toxicum vendat vel donet, nec alio modo ministret alicui, vel alia venenosa, nisi priùs significet curiæ ordinarii, ut sciri possit suis temporibus, si casus toxicationis contingeret, quis fuerit emptor ille vel alius qualiscunque : quodque apothecarius quilibet

ad hoc servandum coram suo superiori corporaliter præstito juramento pro se et suâ familiâ specialiter astringatur. Aliter autem dantes, vendentes et ad homicidium perpetrandum recipientes quomodolibet vel ementes, et ad hoc consilium vel consensum tacitè vel expressè præstantes excommunicationis vinculo subjaceant, ad sedem apostolicam pro absolutionis beneficio remittendi, et alias sicut justum videbitur puniendi.

De pœnis, toxicum vel herbas mortiferas in mortem alterius ministrantibus, inferendis.

Item quòd quicunque alium toxicare aut opem ad hoc vel consilium dare. vel in necem alterius toxicum dictare vel vendere, aut aliter ministrare presumpserit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cuiquam dederit, eo facto, ipse excommunicationem incurrat, a qua non nisi per sedem apostolicam absolvatur. Et si clericus beneficiatus fuerit, sit illo privatus beneficio, ipso facto, et ab ordine quem susceperit degradetur, tradendus curiæ seculari; vel si tali vel simili suspicione probabili infamatus ex verisimilibus presumptionibus et perspicuis indiciis apud bonos et graves notatus, ad honorem vel dignitatem ecclesiasticam nullatenùs admittatur, et nihilominùs ad detentionem personæ honestam, prout requiret personæ status et sceleris immánitas suadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, sicut superiorum discretioni visum fuerit, procedatur.

Qualiter contra exemptos et privilegiatos in diversis abutentes suis privilegiis procedatur.

Item dolentes referimus, quòd nonnulli religiosi, hospitalarii, Cistercienses et alii tàm privilegiati quàm exempti, de privilegiorum sibi fortè aut ordini suo indultorum prerogativâ temerè confidentes, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sentencias ab ordinariis vel officialibus ipsorum rationabiliter promulgatas observare non curant; quinimò in contemptum clavium suspensos, excommunicatos et interdictos hujusmodi ad divina recipiunt aut interdum in donatos aut confratres, contra mentem concilii lateranensis admittunt: receptatorum in hâc parte genus imitantes sine quibus delinquentes in hiis et similibus diù forsitan non laterent. Sed nec hiis contenti domos conventuales alterius ordinis quàm sui, eisdem ordinariis lege dyocesanâ subjectas, et a sui fundatione jurisdictioni prælatorum, salvâ regulâ seu ordinis sui disciplinâ, suppositas, tàm prænominati quàm cæteri reli-

giosi, etiam non exempti nec privilegiati, vendicant sibi; et prælatis, quasi furtìm succedente post modum violentia, subtrahere moliuntur: sicque de suis indulgenciis seu privilegiis confidentes alios fidentius, in jure suo molestant, ità quòd auctoritate, imo temeritate propria, nunc in vestimentis ovium venientes, nunc seculari fulti potentiâ, violentiam per se vel per alium inferentes, possessiones, et quasi, domorum hujusmodi ac rerum et jurium ad eos spectantium, occupare, et cum armis aliquoties invadere non verentur, et occupata tenere contendunt in prælatorum præjudicium, plurimorum scandalum et enormem nihilominùs illius ordinis cujus erant ab initio, et cui ab antiquo subesse consueverunt lesionem. Cùm igitur tales et tàm enormiter excedentes et notoriè delinquentes, receptatoribus non impares, ac improbis raptoribus nequiores, perinde ut alios jura censeant puniendos, nos quatenùs animadvertere in ipsos possumus et à jure nobis permittitur, et maximè si de privilegiis suis non velint copiam facere requisiti: volentes, ubi eos indulta sibi privilegia non deffendunt, correctionis et reformationis officium exercere, ac effrenatam ambientium cupidinem reprimere cupientes: statuimus et concorditer ordinamus ut tales et similes in premissis et similibus tàm enormiter delinquentes et tàm notoriè excedentes, nisi desisterint et saniori ducti consilio congruenter infra octo dies ex quo fuerint requisiti revocare seu emendare distulerint, unà cum illis qui se ad eos sic ligati reduxerint, et eis qui translationem hujusmodi attemptaverint et exindè monasteria, domos vel conventuales res et jura hujusmodi occupare seu invadere cum armis vel sine armis presumpserint, nec non et omnes qui eis ad hoc opem vel operam præstiterint, aut ut occupata detineant consilium vel juvamen prebuerint, excommunicationi subjaceant ipso facto. Sed et cum ipsi prælatis non deferant, sed potiùs vilipendant eosdem: prælati è contrà, quamdiù sic steterint, et ausu temerario eis vel officialibus eorum in premissis restiterint, in privilegiis vel aliis juribus suis tueri eos vel deffendere minimè teneantur; dignum est enim ut quâ mensurâ mensi fuerint, eâdem remetiatur et eis, et ut ignorantes ignorari et contemptores sentiant se contempni: quâ enim fronte prælatorum invocabunt auxilium qui committere non formidant in ipsos? Statuimus insuper et precipimus, et communiter mandamus ut singulares personæ tàm suimet quàm alterius conventus mixtìm translationem taliter fieri procurantes, ab illius domûs seu conventûs consortio penitus et in perpetuum excludantur, vitam suam alibi sub arctâ pœnitentiâ, sui superioris arbitrio, finituræ. Circa translationem autem sin-

gularium personarum ad rectiorem fortè regulam transire cupientium, nihil intendimus per hoc extra formam à jure traditam immutare.

Ut presbiteri testamentis parrochianorum intersint et per episcopum distribuantur restitutiones incertæ.

Item ne relictæ in testamentis vel aliis ultimis voluntatibus emendæ vel ad pias causas eleemosynæ, vel restitutiones certæ vel incertæ, forsitan occultentur : statuimus ut vel presbiter parrochialis ecclesiæ interesse rogetur ordinationi testamenti, si haberi poterit, aut quod notarius infra VIII dies à die obitûs numerandos prælato vel officiali aut presbitero parrochiali copiam illius articuli ubi quævis eleemosina piis est usibus deputata, vel emenda seu restitutio facienda, sub pœnâ excommunicationis, quam ipso facto, si negaret, incurrat, facere fideliter teneatur; et ille vel illi sic cum hæredibus, vel exsequtoribus testatoris, ordinare festinent quod emendæ non occultentur et eleemosinæ sic relictæ, vel restitutiones hujusmodi non pereant, ad tempus magnum vel modicum, aut fortè perpetuò faciendæ. Adjicientes insuper quòd incertæ restitutiones nulli per aliquem executorem testamenti vel alium præter dyocesiani licentiam prebeantur; nec aliqui distribuere presumant alibi, quàm ubi prælatus duxerit ordinandum, nisi testator contrarium vel exsequtorum suorum arbitrio fiendam restitutionem et distributionem hujusmodi ordinasset : quo casu exsequtores à tempore mortis, ubi temporis restitutionis vel distributionis non esset testamento incertum, alias ab illo expressè tempore computandos infra sex menses debeant fideliter defuncti exsequi voluntatem. Quòd si non fecerint ex tunc dyocesani restitutiones et retributiones incertas faciant, intentioni defuncti quantùm poterunt, mutantes exsequtores; et prædicti magis materiam habeant fideliter exsequendi et distributis et restitutis prædictis dyocesano teneantur reddere rationem. Ad hoc autem addimus, quòd presbiteri in synodis venientes prælato suo vel officiali, ejus in scriptis, testatorum et exsequtorum nomina et quantitatem hujusmodi præsentare in virtute obedientiæ teneantur.

Quòd episcopi in distributionibus legatorum vocentur prout ad eos pertinet de jure vel de consuetudine.

Cùm in eo casu, in quo alicujus interesse rationabiliter tangitur, ejus vocatio debita requiratur : Volumus et jubemus quòd in distributionibus legatorum quorum divisioni seu exsequtioni habent interesse episcopi, de consuetudine vel de jure, vocari debeant episcopi seu lo-

cum tenentes ipsorum. Quibus equidem non vocatis, nulla presumatur fieri distributio de legatis; et si facta fuerit, heredi seu successori, vel illi à quo relictum est, nulla ex tali distributione liberatio acquiratur.

Ut nullus confessor sine dyocesani licentiâ quemcunque presumat absolvere in casibus infrà scriptis.

Item ut nullus cujuscunque religionis vel ordinis seu conditionis existat, confitentes in cujusquam civitate vel dyocesi, præter specialem vel generalem licentiam ipsius dyocesani de facto absolvere quemquam vel ligare presumat, in casibus eidem dyocesano à jure, consuetudine, vel statuto provinciali vel synodali specialiter reservatis.

Casus sunt vero hi :

In excommunicato à canone,
In incendiario nondùm etiam publicato,
In blasfemo famoso,
In votis commutandis vel relaxandis,
In hiis quæ consueta sunt in dyocesano episcopo reservari, ut potè:
In oppressione puerorum,
In homicidiis,
In sacrilegiis ultra x solidos,
In violatoribus ecclesiarum, ecclesiasticæ libertatis et immunitatis,
In incestu cum consanguineis seu affinibus, in ascendentibus vel descendentibus in infinitum et in collateralibus usque ad secundum gradum inclusivé,
In carnali cognitione cum sanctimoniali,
Aut in defloratione virginis violentâ,
In eis qui luxuriam commiserunt per carnalem copulam in ecclesiâ,
In restitutionibus incertis ultra xx solidos in unâ personâ,
In clandestinè contrahentibus,
In eo qui consuetus est in multo tempore pravitatem usurariam exercere,
In falso teste,
In falsario litterarum vel instrumentorum, vel subtrahente aliena instrumenta seu delente,
In falsario monetæ,
In impediente legatum sedis apostolicæ,
In proditore domini vel patris,
In herésis sectatore,

In supponente partum, vel necante, vel abortum sibi vel alii procurante,

In muliere quæ ab alio quam à marito suo proprio concepit infantem quem maritus suus etiam existimat esse suum, propter quem legitimi defraudantur hereditate paternâ,

In toxicatione vel aliud mortiferum ministrante, vel opere aut consilium adhibente,

In coeunte cum Judeâ vel Sarracenâ, vel bruto, vel e contra,

In sortilegis ad quos recurritur communiter pro sortilegiis faciendis qui corpore Christi, oleo sancto vel chrismate abutuntur,

In depopulatoribus agrorum, vinearum vel arborum,

In excommunicatis qui scienter se ingerunt divinis et commoniti nolunt ecclesiam exire, divinum officium perturbantes,

In illis qui scienter excommunicatorum corpora recipiunt ad ecclesiasticam sepulturam vel ea sepeliunt ibi, contra parrochialis presbiteri voluntatem,

In illis qui scienter celebrant in ecclesiâ interdictâ quibus a jure non est vel privilegio concessum, cùm ex hoc reconcilianda sit ecclesia suprà dicta.

Ut nullus occasione cessionis factæ sibi coram extraordinario judice quemquam audeat convenire.

Item, quòd nullus clericus vel persona ecclesiastica ex causâ vel occasione vel ratione donationis vel cessionis sibi factæ, vel de cætero faciendæ, aut emptionis, permutationis vel in solutum dationis, quæ emptio, permutatio vel in solutum datio in fraudem fierent, quemquam coram judice extraordinario audeat convenire : quòd si secus egerit excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

De instrumentis debitorum soluto debito restituendis et si apud creditores remaneant cancellandis.

Item, cùm nulla juris patiatur ratio, quòd bis idem debitum exigatur, nos nolentes materiam exigendi bis idem debitum et vexationes indebitas quantùm possumus amputare : statuimus quòd nullus creditor christianus vel judeus postquàm sibi fuerit integrè de debito satisfactum possit contra voluntatem debitoris instrumentum vel mandamentum soluti jàm debiti retinere; nisi forsitan creditor, ad aliqualem cautelam, vellet instrumentum prædictum vel mandamentum in

presentiâ solventis cancellare et ruptum apud se conservare. Quòd si instrumentum vel mandamentum, ut præmittitur, cancellatum et ruptum penès se conservare voluerit, ypotecam si petatur, teneatur facere de soluto; creditor autem postquàm per debitorem soluto debito requisitus, restituere vel rumpere et cancellare non curaverit instrumentum vel mandamentum prædictum si christianus fuerit, eâ propriâ auctoritate presentis concilii, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Si verò Judeus fuerit, à participatione fidelium sit exclusus.

Ut instrumenta debitorum et mandamenta, post certum tempus, nullam in foro ecclesiastico, ad probationem debitorum, habeant roboris firmitatem.

Item fraudibus creditorum qui sibi debitum bis in toto vel in parte exigere plerumquè nituntur, occurrere cupientes, ac negligentes jus suum prosequi ad persecutionis diligentiam invitantes : statuimus et auctoritate presentis concilii ordinamus, quòd in curiis nostris et subfraganeorum nostrorum spiritualibus, seu coram officialibus nostris et subfraganeorum nostrorum, nullum instrumentum publicum super mutuo, seu deposito, seu venditione et emptione rerum mobilium confectum, post x annos à tempore contractùs et confectionis instrumenti, si dies solutionis vel solutionum non sit ibi appositus vel à tempore solutionis ultimæ computandos, nullam fidem faciat nec ad probationem debiti aliquid suffragetur; et hoc mandamentum sive instrumentum hujusmodi ad faciendum probationem contra clericos sive etiam contra laycos ratione juramenti, vel alias de consuetudine vel de jure in curiâ spirituali conventos, quomodolibet inducatur, nisi infra prædictum x annxorum spatium hujusmodi prescriptio per citationem competentem judicis, vel requisitionem sub testimonio publici instrumenti facta fuisset quodam modo interrupta. Mandamentum autem vulgariter apellatum... post tres annos computandos, ut suprà in prædictis curiis spiritualibus nullam fidem faciat, nec aliam habeat roboris firmitatem.

Ut nullus bona ecclesiarum vacantium occupet, nisi sibi per consuetudinem vel privilegium hoc liceret.

Item quòd nullus omninò prælatus, abbas, prior vel patronus, clericus vel laïcus, cujuscunque conditionis, statùs vel dignitatis, ordinis vel religionis existat, bona ecclesiarum vacantium, metropolitanæ vel

suffraganeæ, prioratûs, abbatiæ vel alterius cujuscunque monasterii, vel ecclesiæ, seu beneficii, officii, vel administrationis ecclesiasticæ, per promotionem aut mortem vel resignationem, aut mutationem vel absolutionem aut alio quocunque modo vacantium, capere per se vel per alium, occupare vel usurpare presumat, nisi sibi de jure vel per privilegium aut per consuetudinem hoc liceret; quòd si fecerit, tàm ipse quàm singuli obedientes ei aliqualiter in hâc parte excommunicationis incurrant sententiam ipso facto.

Ut nulla persona ecclesiastica cum potestatibus secularibus posse habens, det consilium vel juvamen contra ecclesiasticas libertates.

Item quòd quælibet ecclesiasticæ personæ, secularium fortè principum curias et consilia frequentantes, majores vel minores, vel mediæ, cujuscunque dignitatis, ordinis, conditionis vel statûs existant, si scienter contra Deum et justitiam et ecclesiasticam libertatem, in prejudicium alicujus ecclesiæ vel prælati, seu rectoris ecclesiastici, consilium vel favorem, aut juvamen ecclesiasticæ libertati contrarium dederint, darive procuraverint, publicè vel occultè, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, à quâ non nisi emendato dampno seu alio dispendio, circa sedem apostolicam absolvantur.

Ut nullus in sacris ordinibus constitutus vel curam animarum habens in judiciis curiarum secularium gerat officium publicum vel privatum.

Item quòd nullus clericus habens curam animarum vel in sacris ordinibus constitutus, possit esse de cætero, sine sui prælati licenciâ, in judiciis sive causis in curiâ seculari, procurator, sindicus vel actor, pro aliquo laïco, vel judex etiam, vel bajulius, in exercendâ jurisdictione domini temporalis; quòd si monitus, infra mensem non destiterit: ex tunc talis, si beneficiatus fuerit, beneficiis suis hujusmodi auctoritate presentis concilii suspendatur; non beneficiati verò à liminibus ecclesiæ arceantur.

De modo probandi electionem sepulturæ illorum qui apud religiosos eam elegisse dicuntur.

Item statuimus ne quis illorum funera defunctorum, quos fratres prædicatorum, minimorum et aliorum religiosorum apud se ipsos sepulturam elegisse probaverint, deferri ad domos et ecclesias eorum impediat: salvo tamen jure portandi funus ad parrochialem ecclesiam,

ex consuetudine laudabili hactenùs observata : nec circa prædicta injuriam fratribus ipsis aut funeri, obmittendo solitam campanarum pulsationem vel aliter inferre presumat. Super hâc autem probatione, volumus, summariè et de plano, sine sumptibus et scriptis quibuscunque per exhibitionem ordinationis testantis aut productione testium coram parrochialis ecclesiæ rectore procedi, si tamen potuerit et voluerit interesse. Quo absente utiquè, vel interesse nolente, coram officiali vel locum tenente ipsius, si funus in civitate fuerit, hoc probari sufficiat, vel coram personis publicis et honestis, si hoc extra civitatem fortassè contingat. Aliter equidem ubi erunt funera, ea ab eis de domibus extrahi prohibemus; incursuris excommunicationis sententiam, ipso facto, quibuscunque contra tenorem hujus constitutionis extrahentibus de domibus funera, procurantibus seu permittentibus extrahi, aut facientibus, et presumentibus, in hoc, auxilium, favorem aut consilium impertiri; et si infra unam diem naturalem, non fuerit facta probatio suprà dicta, funus sepeliendum in ciminterio parrochialis ecclesiæ deponatur, ibi donec sit facta probatio remansurum.

Ut sine novi censûs impositione vel veteris augm ntatione, beneficia conferantur.

Item quòd prioratus seu beneficii alterius ecclesiastici facta cum novi censûs impositione vel pensionis antiquæ augmentatione collatio non valeat ipso jure et per proximum superiorem, illâ vice, personæ idoneæ sine dicti oneris vitio conferatur, ac si ad eum propter negligentiam fuisset aliàs collatio dicti beneficii devoluta.

Ut monachi infra certum tempus in ecclesiis suis perpetuos vicarios ordinariis representent.

Item statuimus quòd in singulis ecclesiis per monachos solitis gubernari infra sex menses priores earum dyocesanis suis ad curam animarum perpetuos presbiteros representent. Quod nisi fecerint, ex tunc eâ vice, episcopi instituant presbiteros perpetuos in curâ prædictâ et ipsos priores compellant ad providendum eisdem presbiteris, prout idem instituens, observato Viennensis concilii statuto, duxerit ordinandum. Si quis verò super præmissis privilegia asserat se habere, ea infra sex menses ordinariis debeat exhibere. Quæ privilegia observentur eisdem.

Ut nullus beneficium conferat in quo jus tantùm obtinet patronatûs.

Item statuimus quòd nullus in aliquo beneficio ecclesiastico solum

jus obtinens patronatûs, vel presentationis dumtaxat, cùm ipsum vacare contigerit, ad ipsum conferendum procedat; quòd si secùs egerit, in illâ vacatione jus presentandi ipso facto amittat, et superior ad quem institutio pertinet plenam ejus dispositionem habeat illâ vice.

Ut presentatus patrono non juret sine dyocesani licentiâ nec ab alio se institui patiatur nec beneficium obtentum dimittat.

Item sub pœnâ excommunicationis precipimus, ne quis à patrono clerico vel laïco presentatus aut esse presentandus, ante institutionem præstet aliquod juramentum in manibus patroni vel alterius cujuscunque, sine speciali ipsius ordinarii licentiâ et consensu. In institutione verò vel post, possit præstare juramentum patronis, ratione temporalium prout eis competit de consuetudine vel de jure. Quodque presentatus seu presentandus hujusmodi ab alio quàm ab ordinario cui de jure competit in ecclesiâ parrochiali se instituì nullatenùs patiatur; nec ex quo per ordinarium institutus fuerit vel admissus, beneficium dimittat hujusmodi non petitâ ipsius ordinarii licentiâ vel consensu, vel nisi alia sufficiens causa subsit, legitima, probabilis et honesta.

Ut ecclesiæ et ecclesiasticæ personæ à talliis et exactionibus secularium per ordinarios deffendantur.

Item quòd clerici et hospitalia et ecclesiæ à talliis et exactionibus quas domini temporales faciunt, etiam ratione possessionum temporalium, nec non et in patrimonialibus clericorum solutorum, secundùm leges et canones deffendantur per ordinarios, nimis hactenùs super hoc negligentes, ne paulatim totum usurpent temporales domini, in prejudicium et enervationem ecclesiasticæ libertatis.

Ut clerici macellariorum et tabernariorum officia personaliter exercentes, moneantur ut à prædictis desistant officiis, si gaudere voluerint privilegio clericali.

Item cupientes clericos, in domini sortem electos, sic professionis viam quam elegerunt modestè servare, quòd respicientes retrò, negociationes non exerceant ecclesiastico statuto minimè congruentes; ac attendentes quod dignum extitit, ut qui similem cum secularibus vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam : auctoritate presentis concilii ordinamus, quòd nos archiepiscopi et episcopi, per nos et officiales nostros, infra mensem, sub obtestatione divini nominis, omnibus

curatis nostrarum civitatum et dyocesum districtè precipiendo mandemus, quòd ipsi omnes clericos, solutos et conjugatos, carnificum seu macellariorum aut tabernariorum officium publicè personaliter exercentes, sub pænâ excommunicationis, infra mensem à tempore publicationis statuti hujus certificati in scriptis, specificè debeant nobis vel nostris officialibus intimare; quâ intimatione et informatione receptâ, nos sine moræ dispendio per nos aut officiales nostros prædictos, ad monitionem nominatim faciendam, et alia contenta in constitutione Viennensis concilii super hoc editâ, exactâ diligenciâ procedamus.

Ne quistæ aut aliæ exactiones per sæculares hospitalibus imponantur.

Item quòd Domini sæculares, vel quicunque alii, cujuscunque gradùs, dignitatis seu conditionis existant, hospitalia usibus pauperum deputata, occasione cavalcatarum, talhiarum, quistarum vel aliarum illicitarum exactionum quocunque nomine appellentur, nec onerare nec molestare presumant; alioquin si requisiti, desistere et emendam præstare noluerint, vel si de ceterò contrà fecerint, ipso facto excommunicationis sentenciam incurrant.

Ne layci pretextu alicujus statuti prohibeant clericis extrahere bladum de terris eorum.

Item cùm statuta sæcularium ecclesias aut personas ecclesiasticas non astringant, statuimus ut sæculares cujuscunquè dignitatis, conditionis aut statûs fuerint, qui pretextu statuti ne bladum extrahatur de terrâ, vel castro, vel villâ, vel quòd certo pretio vendatur, invitos clericos vel ecclesiasticas personas astringere, maximè cum ipsi non habeant aliundè forsitan undè vivant, aut super angariis vel perangariis aut aliis quibuscunquè, cùm nec in eis nec eorum bonis, aliquam habeant potestatem, coarctare presumpserint, excommunicationi subjaceant ipso facto. Et locus ubi hoc per dominum loci, vel universitatem ejus, aut eorum conniventia vel commissu attemptatum fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto, nisi moniti infra mensem emendaverint et de perpetratis satisfactionem studuerint exhibere competentem.

Ut domini temporales non impediant vel prohibeant quominùs ecclesiarum rectoribus decimæ persolvantur.

Item quòd domini temporales, baylivi, seu officiales ipsorum, clericos, et ecclesiarum rectores non impediant quominus decimæ ipsis,

prout ad eos pertinet, per parrochianos suos præstentur fideliter et solvantur; nec eisdem parrochianis inhibeant quòd non solvant, alioquin si contrà fecerint excommunicationis sententiam eo ipso incurrant.

Ne ordinationes et statuta fiant super decimis, funeralibus, oblationibus et aliis contra laudabiles consuetudines et ecclesiæ libertates.

Item quòd layci cujuscunque gradùs, dignitatis vel conditionis existant, vel universitates statuentes vel ordinantes, in se vel inter se vel preconizari facientes, vel subditis suis mandantes quòd non præstent decimas ecclesiis, vel non offerant, vel in ultimis voluntatibus quidquam relinquant eis vel rectoribus earumdem, vel quòd laudabiles consuetudines ecclesiæ in spiritualibus vel aliis infringant, vel alias non observent, vel aliud equipollens directè vel indirectè, tacitè vel expressè vel quomodolibet injungentes, ipso facto excommunicationem incurrant, à quâ, antequàm emenda competens præstita fuerit, minimè absolvantur; universitas autem ecclesiastico subjaceat interdicto.

De societatibus, colligationibus et conjurationibus quas confratrias appellant radicitùs extirpandis.

Item quia in quibusdam nostrarum provinciarum partibus, nobiles plerumquè, interdùm alii, colligationes, societates et conjurationes faciunt, tàm canonibus quàm humanis legibus interdictas, semel in anno sub confratriæ nomine, se in loco aliquo congregantes, ubi congregationes, conventiculas et colligationes faciunt, et pacto jurato vallata ineunt quòd se adversùs quoscunque præterquàm dominos suos ad invicem adjuvent et in omni casu unus alteri det consilium et favorem; et interdùm se omnes veste consimili cum aliquibus signis exquisitis vel caracteribus inducentes, unum majorem inter se eligunt, cui jurant in omnibus obedire; ex quibus justitia offenditur, mortes et depredationes sequuntur, pax et securitas exulant, innocentes et inopes opprimuntur, et ecclesiæ et ecclesiasticæ personæ quibus tales oppido infesti sunt in personis, rebus, juribus et jurisdictionibus, injurias diversas et damna plurima patiuntur. Nos volentes hiis ausibus pestiferis et conatibus perniciosis extemplo occurrere et remedio possibili providere et à peccato subditos nostros prout pastorali incumbit officio cohibere, auctoritate presentis concilii, omnes conventiculas, colligationes, societates, et conjurationes quas fraternitates vel confra-

trias apellant, ab olim factas per clericos vel laycos, cujuscunque gradûs, statûs, dignitatis vel conditionis existant, nec non prædictas conventiones et pacta inter eos habitas et habita irritamus, dissolvimus et cassamus, et cassas et cassa, irritas et irrita nunciamus: decernentes, omnia juramenta super observandis prædictis præstita, adeò illicita et temeraria ut nullum teneri volumus ad observantiam eorùmdem; à quibus juramentis eos etiam absolvimus ad cautelam. Ut tamen pro incauto sacramento à suis confessoribus, pœnitentiam recipiant salutarem, auctoritate prædictâ prohibentes eisdem, sub excommunicationis pœnâ, quam venientes in contrarium postquàm præsens statutum in ecclesiis quarum parrochiani existunt fuerit per duos dies dominicos publicatum, incurrere volumus ipso facto, quod occasione prædictarum colligationum, societatum, conventionum et juramentorum, ab indè in anteà simul non conveniant, hujusmodi confratrias non faciant, alter alteri non obediat nec præstet adjutorium nec favorem, nec vestes signa rei dampnatæ deferant, nec se confratres, priores vel abbates prædictæ societatis appellent. Quinimò infra x dies à tempore dictæ publicationis unusquisque alios quantùm est in eo à prædictis juramentis absolvat; et se nolle esse de prædictâ societate ulterius publicè protestetur. Prohibemus etiam quòd à modo tales conjurationes, conspirationes, conventiones etiam sub nomine confratriæ non faciant; alioquin et de facto attemptatas cassamus et irritamus, et facientes et attemptantes excommunicationi, à quâ non nisi per concilium provinciale, præterquàm in mortis articulo, nullatenùs absolvantur, volumus subjacere. Per hoc autem, confratrias olim in honorem Dei et beatæ Mariæ et aliorum sanctorum et pro subsidiis pauperum introductas, in quibus conjurationes et juramenta non interveniunt hujusmodi, non intendimus reprobare.

Ut clerici præter dyocesani licenciam ecclesias non muniant, nec ibi armatos tenere presumant.

Item prohibemus sub pœnâ excommunicationis, quam ipso facto contrarium facientes incurrant, ne regulares aut etiam clerici seculares, ad muniendas contra ordinarios ecclesias vel ipsa jura indebita occupanda, præter dyocesani cui dictæ subsunt ecclesiæ, vel ejus locum tenentis licenciam vel mandamentum, arma portare, vel armatos adducere vel tenere, vel receptare de propria dyocesi, vel aliena, presumant.

De clericis arma portantibus, qualiter puniantur.

Item statuimus ut nullus clericus arma ferre presumat, absque illius cui competit licenciâ speciali, nisi in casibus à jure concessis. Qui verò contrà fecerit, præter id quod armorum amissione mulctantur, si de nocte portaverit, x librarum; si de die, c solidorum pœnâ, monetæ currentis, irremissibiliter feriatur.

De honestate clericorum circa barbam non nutriendam et coronam debitam deferendam.

Insolentias clericorum quæ tàm ex inordinato habitu quàm gestu deformi, dissolutiones ridiculosas non solùm gignunt in clero, sed apud ipsos laycos indevotionem pariunt, et exempla scandalosa quæ producunt compescere cupientes, statuimus quòd omnes clerici cujuscunque statûs vel conditionis existant, coronam rotundam deferant non nimiâ parvitate notandam, infrà octo dies ex quo tonsuram receperint et à barbis nutriendis, postquàm ad tempus rasuræ congruens pervenerint, studeant abstinere. Exindè verò tàm barbam, cùm ad tempus rasuræ congruens pervenerint, ut præfertur, quàm tonsuram singulis mensibus, nisi ex justâ causâ id facere distulerint, quâ cessante ad hoc illos arctari volumus, radi facere teneantur. Quòd si premissa non fecerint, beneficia in nostris provinciis obtinentes seu dyocesibus pœnam centesimæ partis fructuum beneficiorum hujusmodi quoties defecerint in premissis, valore tamen ipsorum fructuum juxta taxationem decimæ quoad ad hoc attinet extimato, ipso facto incurrant. Quam centesimam si occupaverint aut sibi appropriaverint, tamdiù sint ab omnium fructuum prædictorum beneficiorum perceptione ipso jure suspensi, donec integram ejusdem centesimæ partis semel vel pluries commissæ restitutionem ordinariis suis fecerint seu emendam. Clerici verò soluti, beneficia non habentes, in clericatûs tamen statu viventes, quoties contra præmissa fecerint, in pœnâ XII denariorum monetæ currentis incidant ipso facto, in usus pios ordinariorum arbitrio convertendam.

De honestate canonicorum secularium et dignitates habentium in vestibus deferendis.

Item statuimus quòd in nostris provinciis seu dyocesibus, omnes

canonici cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, necnon rectores ac perpetui vicarii, et capellani curati parrochialium ecclesiarum, presentes et posteri: videlicet canonici, in dignitatibus seu personatibus constituti in ecclesiis et civitatibus, alii verò canonici et rectores, perpetui vicarii ac capellani, curati in suis ecclesiis et parrochiis, vestes superiores clausas, non nimiâ brevitate notandas, cum manicis decenter longis pariter ac rotundis, ac capuciis aut capsanis vulgariter appellatis, notabiliter non apertis aut magnis: videlicet omnes præfati canonici tàm dignitates seu personatus habentes quàm etiam non habentes, post medium, et aliæ suprà scriptæ personæ post unum annum, à tempore publicationis statuti hujus numerandum, adstringantur portare precisè. Quòd si præmissa facere neglexerint, vestibus quas contra presens statutum portaverint, sint ipso facto privati: Quas si etiam requisiti non tradiderint ordinariis per ipsos in pia opera convertendas, illi qui distributiones percipiunt, eas, quamdiù dictas vestes tradere distulerint, perdant etiam ipso facto; quarum quidem distributionum medietas capitulo, et alia medietas, ordinarii arbitrio, præfatis operibus applicetur: aliæ verò personæ prædictæ, quæ distributiones non recipiunt, ipso jure vestes amittant, in usus quoscumque premissos per ordinarios convertendas.

Ut hii qui voces in capitulis non habent cum habentibus se non ingerant, nec ad distributionem quæ datur capitulantibus admittantur.

Item cùm nullus cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ canonicus, nisi sit subdyaconus, nec etiam habens dignitatem, personatum, prebendam vel officium certum requirens ordinem, nisi in illo sit ordine constitutus, vocem de jure in capitulo non habeat, etiam si ab aliis liberè concedatur: statuimus, inhibentes ne prædicti vocem in capitulo non habentes, cum vocem habentibus in ipsum capitulum se nullatenùs ingerant, nec per alios admittantur, etiam ex causâ videndi, audiendi, vel sciendi quæ per tenentes capitulum dicentur, tractabuntur, ordinabuntur, vel etiam statuentur; nec de distributionibus seu emolumentis quas tenentes capitulum pro interessendo capitulo recipiunt de consuetudine vel statuto quidquam recipiant prædicti vocem in capitulo non habentes. Quod si contra præmissa fecerint, vel aliquid, seu aliqua præmissorum, sint per mensem à perceptione fructuum beneficiorum suorum quæ in illâ obtinent ecclesiâ et distributionum, ipso facto, suspensi. Qui si de his quidquam perceperint, durante suspensione prædictâ, duplum capitulo intra sex dies reddere te-

neantur. Quod si non fecerint, duret dicta suspensio donec duplum solverint supradictum, quácunque concessione, donatione, remissione, vel gratiâ, contra hoc nullatenùs valiturâ.

Ut canonici, præsertim dignitates habentes, per duos menses in ecclesiis suis residentiam annis singulis facere personaliter teneantur.

Item quòd omnes canonici et maximè dignitates, personatus vel officia in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis obtinentes, presentes et futuri, teneantur annis singulis per duos menses in dictis ecclesiis, residentiam facere personalem, quocunque statuto vel consuetudine contrariâ non obstante. Quam nisi fecerint, ex tunc omnium fructuum et obventuum beneficiorum suorum totius anni, quæ in illâ ecclesiâ obtinent, quartam partem secundùm taxationem decimæ ipso jure amittant; cujus quartæ medietas capitulo, alia medietas fabricæ vel aliæ necessitati ecclesiæ, ad arbitrium episcopi et capituli applicetur. Quæ pœna nullatenùs remitti valeat, etiam si prælatus et capitulum super hoc convenirent; nec super residentiâ non faciendâ in duobus mensibus suprà dictis valeat idem prælatus, nisi ex causâ studii, dispensare. Premissa autem pœna pro longâ infirmitate impeditus aut existentibus obsequiis domini nostri papæ, vel prælati proprii, sive prosequentibus ecclesiæ negociis sine fictione vel fraude, aut in hiis qui dispensationem obtinuerant absentandi ex causâ studii, non vendicet sibi locum. Per premissa verò, circa illos qui de consuetudine vel statuto ecclesiarum ad continuam vel majorem residentiam, per se vel per alium sunt astricti, non intendimus aliquid immutare.

Ut canonici, prætextu seu colore officii seu servicii, distributiones non recipiant quas non essent recepturi.

Item cùm laborantibus in vineis Domini diurnus denarius debeatur, et negligentibus seminare in benedictionibus, etiam messis temporalis justè debeat denegari; auctoritate presentis concilii constituimus et etiam ordinamus ut nullus canonicus cathedralis seu collegiatæ ecclesiæ seu alii clerici perpetui, beneficiati in eisdem ecclesiis, cujuscunque statûs, dignitatis aut conditionis existant, etiam prætextu alicujus assumpti initi officii vel etiam servitii colorati, distributiones quotidianas quæ solis canonicis horis interessentibus dari debeant, recipiat: nisi in eisdem horis personaliter intersit, aut occasione dicti officii, aut pro negociis capituli utilibus, omni fraude cessante, fuerit perso-

naliter occupatus: quâcunque remissione, donatione vel gratiâ contrà hoc nullatenùs valituri.

Ut hii qui dignitates seu personatus habent, seu habituri sunt, infra certum tempus ad sacros ordines prout dignitates seu personatus hujusmodi exigunt se faciant promoveri.

Item quia decet illos et ipsis incumbit qui ad servicium altaris et ecclesiæ Domini dedicatæ fore ut specialiter dignoscantur, si sua dignè et salubriter velint adimplere ministeria, ad sacros ordines promoveri, ne lucra amplecti avidè et humeros ab oneribus presertim honorabilibus subducere censeantur: Nos attendentes quòd nonnulli canonici cathedralium et collegiatarum ecclesiarum nostrarum provinciarum, civitatum et dyocesum in dignitatibus seu personatibus constituti, in propriæ salutis dispendium non curaverint hactenùs, quod cum displicenciâ referimus, neque curant, imò potiùs in effectu recusant, ad sacros ordines quos requirunt, dignitates seu personatus quas obtinent promoveri, quasi sperantes verèsimiliter sed damnabiliter, quod cum de Christi patrimonio fuerint sublimati, à clericali statu, sicut à multis factum esse comperitur, illusis ecclesiis retrocedant; ex quibus minutus est cultus divinus et minui amplius excrescente abusu timetur, nisi super hoc provisionis acomodæ remedium apponatur. Et idcircò volentes prout nostro incumbit officio, hujusmodi abusum illusivum et illusionem abusivam à nostris subditis abolere et insuper cultum divinum non minui, sed augeri nostris temporibus affectantes: Presentis auctoritate concilii statuimus concorditer et etiam ordinamus, utilitate et necessitate ecclesiarum nostrarum id summopere poscentibus, ut omnes et singuli canonici, in cathedralibus seu collegiatis ecclesiis nostrarum provinciarum dignitates seu personatus obtinentes vel qui in posterum obtinebunt, intra unum annum à die publicati statuti præsentis dignitates seu personatus præsentialiter obtinentes; qui autem obtinebunt in posterum, à die adeptæ possessionis pacificæ dignitatum seu personatuum hujusmodi in anteà continuè numerandum, ad sacros ordines, prout dignitates seu personatus hujusmodi exigunt, se faciant promoveri. Alioquin si infra idem tempus non se fecerint ut præmittitur promoveri, à perceptione fructuum et obventionum dignitatis seu personatûs hujusmodi, donec ad dictos ordines sint promoti, eo ipso noverint se suspensos. Et si durante suspensione hujusmodi, ad percipiendum fructus, redditus seu proventus dignitatis seu

personatùs hujus se ingerere presumpserint, prædictis dignitatibus seu personatibus sint ipso facto privati. Volumus autem quod fructus, redditus et proventus dignitatum qui durante suspensione prædictâ de dictis dignitatibus seu personatibus recipientur, in utilitatem dignitatum seu personatuum prædictorum per ordinarium et ejus capitulum integrè convertantur.

Ut prælati remissiones delinquentium ad invicem faciant requisiti.

Item statuimus quòd archiepiscopi et singuli episcopi et eorum officiales, vicarii, locumtenentes et vicem gerentes ipsorum, in delictis remissionem faciant cùm fuerint requisiti. Et si ille qui deliquisse dicitur, de dyocesi non fuerit ejus à quo remissio fieri postulatur: sufficiant solæ literæ requirentis. Si verò de ejus dyocesi fuerit, semiplena probatio sufficiat in hâc parte.

De contrahentibus matrimonia clandestinè in dyocesi alienâ.

Item statuimus quòd quæcunque persona quæ pro matrimonio clandestino celebrando dyocesim suam exierit et ibi ipsum matrimonium contraxerit sine licenciâ proprii sacerdotis, ipso facto sentenciam excommunicationis incurrat, et ut excommunicatus nuncietur et publicetur, donec ad arbitrium dyocesani, ecclesiæ parrochiali satisfecerit in cujus injuriam hoc presumpserat et absolutionis beneficium meruerit obtinere.

De abusoribus literarum domini papæ et legatorum ejus, et qualiter puniantur.

Item quia nonnulli clerici et layci qui literas domini papæ vel legatorum ejus nequiter abutuntur: idcircò auctoritate presentis concilii excommunicamus omnes illos qui literas obtentas aliis ejusdem nominis ad abutendum tradiderunt, et eos qui eas receperunt tali modo. Item qui ad loca æquivoca aliquem citari faciunt ut fraudulenter et maliciosè vexent et decipiant sic citatum laboribus et expensis. Item omnes illos qui per literas domini papæ vel legatorum ejus, personas non comprehensas in rescriptis, per cogitatam maliciam, litem ubi non est simulantes, citari faciunt vel procurant ad prohibendum testimonium veritatis. Item omnes illos qui literas apostolicas vel legatorum ejusdem sedis, contra jura, ad futuras trahunt controversias, quæ nondùm fuerant, tempore impetrationis exortæ. Item omnes illos qui

per literam, quasi de bonis pro suo prioratu vel pro suâ ecclesiâ, officio vel beneficio impetratam, ad instanciam aliquorum aliquos citari faciunt, cum quibus ratione prioratûs vel ecclesiæ, beneficii vel officii quorum nomine est litera impetrata, non habent aliquid quæstionis de literâ post iter arreptum. De hiis, prædicto modo abutentibus idem per omnia statutis, nec non de omnibus illis qui per quascunque literas apostolicas aliquos citari faciunt contra quos non habent aliquid quæstionis vel contra constitutionem felicis recordationis domini Bonifacii papæ VIII, adversarios ad remota loca notoriè vel non insignia faciunt evocari. Item judices, conservatores, delegatos et subdelegatos, qui scienter ad loca notoriè distantia vel non insignia, partem citari presumunt quemquam, auctoritate litterarum apostolicarum contra aliquem, citando vel alias procedunt ad instantiam alicujus, nisi sibi constiterit illum ad cujus instantiam procedunt, eum reverà vel ipsius procuratorem esse, qui in litteris apostolicis continetur. Si quis verò super rebus ad dotem spectantibus litteram apostolicam impetraverit, et illius auctoritate aliquem vel aliquos cum quibus ratione dotis non habet aliquid questionis, fecerit fatigari: Auctoritate presentis concilii, eâdem excommunicationis sententiâ quâ superiùs, nominatim noverit se ligatum. De illis verò qui falsò se cruce signatos asserunt, cùm non sint, et sic tanquàm cruce signati, litteras apostolicas impetrant per quas aliquos fatigant laboribus et expensis; item de illis qui privilegium cruce signatorum impetrant sub illâ formâ *postquàm iter arripuerit transmarinum*, et ante iter arreptum per illud privilegium aliquos faciunt: fatigari talium abusorum absolutione, postquàm parti lesæ plenè satisfecerint, suo ordinario reservatâ, aliis pœnis à jure statutis eis nihilominùs per suos ordinarios vel illius quem indebitè vexaverint, si ibi reperti fuerint infligendis. Hæc autem contra abusores litterarum domini papæ et legatorum ipsius, auctoritate presentis concilii duximus statuenda: ejusdem sedis apostolicæ et legatorum ipsius auctoritate in omnibus semper salvâ.

Ne beneficiati res ecclesiasticas absquè dyocesani licenciâ præterquàm in certis casibus alienent.

Item statuimus prohibentes, ne aliquis cujuscunque statûs vel dignitatis existat, possessiones ecclesiasticas aut quæcunque alia jura immobilia alienet, quocunque titulo, in quascunque personas, cujuscunque statûs, ordinis vel religionis, aut dignitatis existat, sine sui dyocesani

consensu et consilio : contractu hujusmodi irritè nihilominùs existente. Qui verò contrarium fecerit proventus sui beneficii unius anni ipso facto amittat, in propriam utilitatem ipsius beneficii ad dyocesani arbitrium convertendos. Addentes quòd ubi possessiones steriles vel aliæ, ut præmittitur, de consensu dyocesani in emphitheosim perpetuam concedantur; dans autem in emphitheosim pro acapito aut a primo introïtu nihil ultrà recipere audeat quàm valeat census vel canon, vel pars fructuum unius anni, quæ vel qui ratione dominii, retinetur. Salvis tamen circà alienationem hujusmodi consuetudinibus rationalibus hactenùs observatis, quas non intendimus immutare.

De excommunicatis compellendis ad gremium ecclesiæ per judicem secularem et appositionem pœnæ.

Item cùm nonnulli claves sanctæ matris ecclesiæ contempnentes, excommunicationis sententiam, non sine animarum periculo frequenter diù sustineant animo indurato, statuimus ut quicunque hujusmodi sententiam, per nos et nostras curias promulgatam, per duos menses postquàm noverit in se prolatam, eamdem duxerit pertinaci animo sustinendam, non curans modo debito absolutionis beneficium petere ab eisdem vel ab eâ curiâ per quam fuerit excommunicationis vinculo innodatus : requiratur per eamdem curiam dominus temporalis aut ipsius bajulus vel judex loci ubi talis excommunicatus noscitur commorari et moneatur attentè, ut infra competentem terminum tùm ab ipsâ curiâ præfingendum, suum subditum sic excommunicatum compellat omninò satisfacere super eo pro quo in eo excommunicationis sententia fuerit promulgata et absolutionis beneficium postulare. Si verò dominus, bajulius sive judex, non curaverit hæc efficaciter adimplere, in ipsum per eamdem curiam excommunicationis sentencia proferatur. Et deindè si adhuc dictum subditum cogere contempserit : locus ille donec ipsum compulerit interdicto ecclesiastico supponatur. Cæterùm ut iidem excommunicati qui divino non inclinantur amore ut ad gremium ecclesiæ revertantur, temporalis metu pœnæ, ad id propensiùs inclinentur : Statuimus ut layci v sol. clerici verò x, presbiteri verò xv sol. Viennenses bonorum, pro quolibet mense, quo in excommunicatione prædictâ permanserint, solvere teneantur, nisi propter paupertatem vel aliam rationabilem causam memorata curia misericorditer agere voluerit cum eisdem; prædictis pœnis in ornamentis ecclesiæ seu eleemosinis ad dyocesani arbitrium convertendis.

Ne prohibeatur prælatis jurisdictionem suam exercere.

Item cum jure cautum existat, archiepiscopos et episcopos in totis suis dyocesibus jurisdictionem ordinariam obtinere et in quolibet loco suarum dyocesum non exempto, per se vel per alium posse pro tribunali sedere, causas audire spectantes ad forum ecclesiasticum et personas ecclesiasticas, cùm earum excessus exegerint, capere et carceribus mancipare, aliaque omnia et singula ad sua expectantia officia liberè exercere, et nonnulli domini temporales, judices et rectores, ac officiales eorum Deum et libertatem ecclesiasticam sacrorumque statuta canonum offendere in suarum animarum grande periculum non verentes, personas ecclesiasticas, quas in diversis locis nostrarum civitatum et dyocesum ac provinciarum, suis excessibus et delictis exigentibus, capi et carceri mancipari contigerit, interdùm de carceribus extrahunt violenter, impediendo quominùs de illis et earum delictis et excessibus per judices ecclesiasticos ad quos presertìm exhiberi valeat justitiæ complementum; nos talium obviari damnandis ausibus, jusque servari super his in eisdem civitatibus et dyocesibus ac provinciis cupientes, hoc approbante concilio statuimus, quòd omnes ac singuli temporales domini, judices, rectores vel officiales eorum qui talia de ceterò in eisdem civitatibus vel dyocesibus ac provinciis presumpserint attemptare, ipso facto sentenciam excommunicationis incurrant: eorumque terræ aut loca, nisi infra x dies posquàm fuerint super hoc requisiti, ex tunc ecclesiastico subjaceant interdicto: donec spoliatis carceribus plenariè et liberè restitutis, ei cujus jurisdictionem sic leserint, emendam præstiterint condecentem.

Ne prohibeatur directè vel indirectè clericis contra suo judice litigare.

Item, cùm nonnulli temporale dominium obtinentes, seu secularis justiciæ potestatis gerentes officium, jurisdictionem sanctæ matris ecclesiæ subvertere vel minuere exquisitis astuciis moliantur; nos eorum malicias ultione canonicâ reprimere cupientes, approbante presenti concilio, statuimus inhibentes ne quis in foro ecclesiastico litigantes seu litigare volentes super causis merè ecclesiasticis sive quæ ad forum ecclesiæ de antiquâ et approbatâ consuetudine et hactenùs pacificè observatâ, pertinere noscuntur, ad desistendum compellat per ipsorum vel parentum ac consanguineorum vel rerum eorum vel personarum captionem, modisve aliis quibuscunque. Si verò contrà presump-

serint, excommunicationis sentenciæ presentis auctoritate concilii se noverint subjacere.

Ut infra domos prælatorum nec in eorum officialium presentiâ injuria nulli fiat.

Item cùm illos quos Dei timor à malo non revocat, saltem cohercere debeat severitas disciplinæ; presentis auctoritate concilii duximus statuendum quòd si persona, cujuscunquè conditionis, statûs seu ordinis existat, infra domos archiepiscopales vel episcopales nostrarum civitatum vel dyocesum, ac provinciarum vel alibi ubicunquè nos vel subfraganei seu officiales nostri causas audierint, aliquem facto graviter vituperaverit, seu injuriam irrogaverit, incurrat sentenciam excommunicationis ipso facto et alias puniatur.

De bannis solvendis à clericis et per quos et qualiter exigantur.

Item statuimus et sub pœnâ excommunicationis quòd nullus dominus temporalis audeat compellere ecclesias vel personas ecclesiasticas vel earum familias, servitores, seu nuncios, solvere bannum seu banna pro animalibus suis quibuscunque, vel pro personis prædictis. Et ne personæ ecclesiasticæ vel earum familiæ materiam propter hoc habeant delinquendi; statuimus ut banna quæ clericis committuntur pro fructibus alienis susceptis vel eorum animalibus, in vineis, pratis aut possessionibus vel defensis inventis, eadem ab ipsis clericis vel personis ecclesiasticis seu earum familiis et animalibus earumdem, applicanda curiæ singulorum dyocesanorum de cetero commitantur. Volentes et precipientes ut à presbiteris singularum nostrarum provinciarum, dyocesum et ecclesiarum nostrarum curam habentibus animarum, banna ipsa, quotiens in locis ipsorum committi contigerit, auctoritate cujuslibet dyocesani exigantur fideliter et leventur, eidem curiæ per eos post modum in singulis synodis ex integro assignanda. Si qui verò sic banna commissa solvere recusaverint, per ipsos presbiteros requisiti, ex tunc ad duplicata banna eadem teneantur et ad ea sic duplicata solvenda per eamdem curiam compellantur. Presbiteri verò prædicti dictæ curiæ banna hujusmodi solvere recusantes procurent manifestare; alioquin si super hoc fuerint negligentes, juxta ipsius curiæ arbitrium ex indè puniantur. In civitatibus verò vel castris alicui nostrum vel nostrorum dyocesanorum temporali jurisdictioni subjectis, per mandatores nostros seu ipsorum dyocesanorum, banna prædicta exigi vo-

lumus et levari et cuilibet nostrorum et dyocesanorum nostrorum prout ad nos et quemlibet eorumdem pertinet restitui per eosdem. Ceterùm super denunciatione prædictorum, cùm ab aliquo vel aliquibus committentur, custodibus sive gardiis juratis fidem decernimus adhibendam. Porro per solutionem prædictorum bannorum ab emendandis talliis seu dampnis, prout justum fuerit, nullum volumus excusari. Prædictum autem statutum ad personas ecclesiasticas temporalem jurisdictionem habentes in locis sibi subditis volumus non extendi.

Ut beneficiati sine licenciâ dyocesani non componant.

Item sub interminatione anathematis prohibemus ne aliquis rector, vicarius, vel alius clericus, vel laycus prædictarum Arelatensis, Aquensis et Ebredunensis provinciarum, super decimis vel aliis juribus debitis ecclesiis parrochialibus, cum aliquibus religiosis componere audeat, sine auctoritate dyocesani, vel jus uni ecclesiæ debitum alteri audeat assignare.

In quo statu debent dimitti beneficia et per successores teneri.

Item statuimus quòd si contingat aliquem, aliquam ecclesiam suam quomodolibet dimittere, sine morte, juxta æstimationem legitimam et ejusdem ecclesiæ facultates relinquat ibidem in bonis mobilibus, quòd primò personæ necessariæ ipsi ecclesiæ et domui ejusdem indè possint vivere usque ad novos fructus et commodè sustentari et onera interim ecclesiæ incumbentia supportare et animalia aratoria et ornamenta ecclesiæ et supellectilem consuetam; quodque successor quilibet omnia ornamenta ecclesiæ et universam domus supellectilem, in pannis et aliis, in illo statu conservet et meliori, si poterit, ac reddere teneatur in eo in quo recipiet ecclesiam suprà dictam.

De inventario bonorum ecclesiasticorum infra certa tempora faciendo.

Item statuimus quòd priores ecclesiarum et rectores seu gubernatores hospitalium pauperum, et omnes alii, beneficia ecclesiastica obtinentes, inventarium faciant cum publico instrumento vel in cartulario quod penès ecclesiam debebit remanere, de omnibus immobilibus et mobilibus bonis, scilicet instrumentis, privilegiis, vasis æreis ac ferreis atque vinariis, in principio sui regiminis, infra sex menses, et idem faciant, instituti, post primam synodum infra sex menses. Et qui

prædicta non fecerit, in decimam fructuum dicti beneficii puniatur, operi vel ornamentis aut utilitati propriæ ecclesiæ per ordinarium applicandam.

De testamentis per beneficiatos secundùm consuetudines laudabiles faciendis.

Item statuta olim per predecessores nostros edita super testamentis vel ultimis voluntatibus per prælatos vel beneficiatos alios faciendis ac consuetudines rationabiles hactenùs in singulis provinciis observatas auctoritate presentis concilii approbamus et in suo robore volumus permanere.

De statutis, bannis et preconisationibus contra consuetudines ecclesiæ editis prohibendis.

Item statuimus quòd quicunque contra ecclesiasticas consuetudines antiquas rationabiliter approbatas et hactenùs pacificè observatas, statuta, banna, prohibitiones seu preconisationes aut precepta scienter fecerint aut fieri procuraverint aut servari, seu facientibus vel servantibus et in hoc consilium vel operam directè vel indirectè prestiterint, per dyocesanuos locorum aut officiales vel procuratores eorum, presentis auctoritate concilii moneantur, ut infra unum mensem à tempore monitionis hujus numerandum, statuta, banna, prohibitiones, preconisationes et precepta hujusmodi, cum effectu debeant revocare, ad consimilia nunquàm ulteriùs processuri; alioquin excommunicationis sentenciâ, quam in his scriptis ex nunc ferimus, sint ligati.

De contributione expensarum necessariâ inter omnes beneficiatos dyocesum faciendâ.

Item statuimus quòd si archiepiscopus vel episcopus aut aliquis rector alicujus ecclesiæ, in civitatibus vel dyocesibus provinciarum prædictarum, expensas necessarias fecerit in legatis et nunciis sedis apostolicæ, expensâ illâ solvantur de communi distributione ecclesiarum, civitatum et dyocesum, infra quas dicta expensa fuerit facta et istæ expensæ semel in anno in unâ synodo colligantur.

Ut Judei utriusque sexûs signa deferant per quæ ab aliis discernantur.

Item decrevimus quòd Judei masculi, à XIII annis et suprà, deferant extra domos, in superiori veste, in pectore signum rotæ cujus rotun-

ditas in quantitate sit trium vel quatuor digitorum, nisi sint in viagio constituti. Mulieres autem judeæ, à XII annis et suprà, cornalia deferant extra domos. Si verò Judei quocunque pretextu contrà fecerint, christianorum eis participatio denegetur. Hâc eâdem pœnâ Judeos decrevimus compellendos ad satisfaciendum ecclesiis pro decimis et oblationibus de domibus et possessionibus quas noscuntur in ipsarum parrochiis possidere.

De Judeis pro medicinâ exhibendâ non requirendis, nec, si se ingesserint, admittendis.

Item quia inter christianos non sine catholicæ fidei opprobrio adeò invaluit perniciosus abusus, ut hii qui Judeorum, utpotè nostræ inimicorum fidei, fœtidos actus et opera spernere et abhorrere deberent, ad ipsos Judeos qui se physicos vel cyrurgicos asserunt, pro medicamentis, imò verùs nocumentis, indifferenter recurrant: propter quod eorumdem Judeorum servilis status ultra methas erigitur, inflatur et superbit cecitas, ei ipsi fidem catholicam parvipendunt et ex indè familiaritates et conversationes multiplices, multorum utiquè incentiva malorum, inter ipsos Christianos et Judeos prodeuntes, pluribus nefandis sceleribus quæ reperiuntur perpetrata, causam credunt verisimiliter prebuisse; et darent in posterùm aliis sceleribus, hiis forsitan pejoribus, occasionem sive causam, nisi salubris provisio talibus obviaret. Idcircò nos quibus est cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri, subditosque nostros à noxiis quantùm cum Deo possumus preservare; statuimus et etiam ordinamus ut à modo nullus christianus nostrarum provinciarum, civitatum et dyocesum, cujusvis sexùs, statùs, conditionis aut dignitatis existat, in infirmitate suâ vel alias, Judeum quemquam physicum vel cyrurgicum pro aliquâ cujuscunque conditionis medicinâ vel medicamine sive curâ recipiendis ab eodem, adeat, requirat, aut requiri faciat: nec etiam ipsius Judei ad eum spontè vel venientis aut mittentis recipere audeat per se vel per alium, quovis exquisito colore, medicinam, consilium alias quam facturus fuerat sive curam; nisi facienti immineret periculum, et christiani periti, medici, physici vel cyrurgici haberi commodè in prefato periculo copia non valeret. Interdicentes pari modo Judeis utriusque sexùs ut in curandis infirmitatibus christianorum nullatenùs se audeant immiscere. Qui autem hujus statuti extiterit violator, si Judeus fuerit, eidem communio fidelium substrahatur; christianus verò superioris sui arbitrio puniatur.

Tunc sentencia interdicti servetur cùm ab ordinario datum fuerit in mandatis.

In singulis autem casibus supradictis in quibus lata est sentencia interdicti, tunc eam servari volumus et mandamus cùm ab ordinario vel ejus officiali, seu locum tenente, aut delegato, datum fuerit in mandatis. Mandans autem diligenter advertat, quòd tunc demùm dictam sentenciam mandet servari, quando illius loci dominus esset solus. Si verò plures fuerint pro indiviso obtinentes, quorum aliquis recusat, alius verò est obedire paratus, tunc dominus superior vel superiores, proximus si plures fuerint, vel ejus seu eorum officiales requirantur et moneantur ut, infra unum mensem à die monitionis in anteà numerandum, emendam fieri faciat et satisfactionem debitam super eis super quibus dicta sentencia est prolata; quòd si non fecerit, ex tunc per dictum ordinarium, officialem vel locum tenentem seu delegatum ejusdem, dictam interdicti sentenciam mandet et faciat per censuram ecclesiasticam firmiter observari.

Cùm absolutio vel dispensatio in casibus presentis concilii superiori non reservantur, per ordinarium vel per illum ad quem ordinarius remittet expediri poterit et debebit.

Item adjicimus, quòd in casibus ubi dispensatio vel absolutio non reperiretur in ordinatione presentis concilii sedi apostolicæ specialiter vel aliter reservata, episcopi pro suæ discretionis arbitrio, juxta negocii qualitatem, et personarum conditionem, provideant et dispensent; aut pro reconciliationis, vel absolutionis, seu dispensationis remedio remittant culpabilem ad suum vel aliquem alium de predictis metropolitanis, de quo sibi magis expedire videbitur: et sicut illius saluti, de cujus agetur excessu, spectatis tam negociis quàm personæ circumstanciis, magis crediderint opportunum.

In quorum omnium fidem et testimonium, nos Gasbertus Arelatensis, Bertrandus Ebredunensis, Armandus Aquensis archiepiscopi supràdicti, dicta statuta publicari mandamus per notarium infrà scriptum, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Et nos si quidem Bartholomeus Forojuliensis, Gauffridus Regensis, Rostagnus Sistaricensis et Guilhelmus Aptensis episcopi supràdicti, priùs prædictorum procuratorum interveniente consensu, omnia et singula in dictis statutis contenta, rata habentes et grata. Idcò presenti instrumento

dicta statuta continenti sigilla nostra apponi facimus et appendi. Actum et datum in prædicto monasterio sancti Ruffi, anno Domini millesimo CCCXXXVII, indictione quintâ, die tertiâ mensis septembris, pontificatûs sanctissimi patris et domini nostri Benedicti divinâ providentiâ papæ XII anno tertio; Præsentibus venerabilibus viris dominis Petro Vasconio juris civilis professore, Albiensis, Petro Gervasi, Vivariensis, ecclesiarum canonicis: Durando Mercatore rectore ecclesiæ de Monte Claro, Caturcensis, Amalrico Saonis clerico, Uticensis, dyocesis, et Raymundo Astorgii jurisperito, cive Montis Albani et pluribus aliis testibus.

STATUTS MUNICIPAUX

ET

CHARTES DE COUTUME

DE

LA VILLE DAPT.

SEQUITUR TENOR COMPROMISSI

OLIM FACTI

INTER DOMINOS DE SYMIANA, EX UNA PARTE,

ET

CONSULES CIVITATIS APTENSIS, EX ALTERA,

super

JURIBUS ET CAPITULIS CONSOLATUS.

Anno Domini 1252, sexto Kalendas Junii, sit notum omnibus hominibus tam presentibus quam futuris hanc cartam legentibus, quod cum diu varie et diverse questiones mote essent aut moveri preparentur inter dominos de Symiana: videlicet dominos Bertrandum Raybaudi et Guirandum et Raybaudum filios quondam domini Guideti de Sy-

miana, auctoritate Petri Ayrulfi curatoris eorumdem, ut apparet per quoddam instrumentum factum per Gicium imperialis aulæ notarium quod incipit: *post annos VIII et diem, universis et cunctis*, et fecit in publicam formam redigi, ex una parte; et consules Aptenses videlicet Bertrandum de Gorda et Berengarium de Lerida milites, et Jordanum de Lerida et Raymundum Soquerium, ex altera; super juribus, juridictionibus, usibus civitatis Aptensis et demum aliis omnibus que inter eos oriri possent, usque ad diem compromissi et appenditiis eorumdem.

Tandem dicte partes, post multas contentiones inter se habitas, compromiserunt super predictis omnibus in dominum R. Aptensis ecclesie archidiaconum et Raymundum Artaldum operarium et Isnardum sacristam et Bertrandum Botium et Guillelmum de Lerida et Tibaudum Berbiguieri et Raymundum Centulionem jurisperitos, tanquam in arbitros arbitratores seu amicabiles compositores ab utraque parte sponte electos presentes et recipientes. Et fuit actum in compromisso quod partes teneantur reddere pignora ad voluntatem dictorum arbitrorum qualia et quanta eisdem placuerit habere.

Item etiam, quod predicti arbitri possint questiones motas seu movendas inter predictas partes determinare simpliciter et de plano et brevitatem inquirere ex officio suo et ex potestate eis a partibus concessa expressim sine strepitu et juris rigore.

Item, fuit actum in compromisso quod dicti arbitri possint cognoscere super predictis questionibus et partes audire, in scriptis aut sine scriptis aut illo modo quo potius eis videbitur expedire.

Item, quod dicti arbitri possint procedere et sententiam aut mandamenta sua proferre, de jure tantum aut de voluntate tantum, aut partim de jure, partim de voluntate, prout eis melius videbitur faciendum.

Item, fuit actum in compromisso quod dicti arbitri debeant negotium terminare antequam separentur a loco isto, nisi de voluntate partium aut pro consilio habendo hoc fieret.

Item, quod si unus vel duo ex dictis arbitris nollent aut non possent super predictis intendere aut etiam interesse ipso aut ipsis semel et secundo citato aut citatis, quod alii possint in eam procedere et questiones sine eorum presentia, requisitione ulterius facta, terminare.

Item, fuit actum in compromisso quod unus ex dictis arbitris possit vice et nomine aliorum qui presentes fuerunt in diffinitionem mandamenta seu sententiam proferre, stando aut sedendo, de nocte aut de die, diebus feriatis aut non feriatis, partibus presentibus aut non presentibus, aut una presente et alia absente.

Item, quod partes ad requisitionem dictorum arbitrorum teneantur monstrare privilegia sua quibus mediantibus dicti arbitri possint instrui et dictas questiones sapire, in toto aut in parte reddere, si que habent.

Item, fuit actum in compromisso quod dicti arbitri possint huic compromisso quodcumque usque ad sententiam addere aut detraere, aut mutare, et partem inobedientem in expensas condempnare.

Item, fuit actum in compromisso quod si aliquis de dictis arbitris faceret aliquid super predictis questionibus, ita quod per eum, ut eos possit veritas elici, quod credatur ei aut eis, et ejus aut eorum verbo stetur, non obstante compromisso in se suscepto.

Hec omnia et singula partes promiserunt attendere et complere et in nullo contravenire, aliquo jure seu ratione, per se aut per alium, sub pena scilicet mille marcharum argenti a parte presenti stipulata et promissa corporali, nichilominus a partibus prestito juramento; renuntiantes illi juri quo cavetur ne causa juramenti religione in arbitros compromittatur.

Item, fuit actum in compromisso quod pena commissa et exacta et compromissum et mandamenta in sua maneant firmitate.

Item, fuit actum et de expresso concensu partium quod si contingeret penam comitti occasione unius capituli aut plurium, quod cognitio ipsius pene comisse et petite et adjudicatio et exequtio ejusdem pertineat ad dominum episcopum Cavallicensem qui pro tempore erit, cujus jurisdictioni et potestati partes ex certa scientia se subjecerunt; pena vero adjudicata et exacta, compromissum et mandamenta supra dictorum arbitrorum, singula et universa in sua maneant firmitate.

Item, fuit actum inter predictas partes et expressim dictum quod si in tota serie facti tam compromissi quam mandamentorum, esset aliquid dubium aut obscurum, aut oriretur ex predictis, interpretatio

pertineat ad superstites arbitros, aut ad majorem partem, si alii nollent aut non possent interesse; quam interpretationem et decisionem facere teneantur infrà mensem, postquam a partibus fuerint requisiti. Si vero contingeret quod dicti arbitri aut major pars concordare non possent, quod interpretatio aut decisio pertineat ad dominum episcopum Cavallicensem.

Item, promiserunt dicte partes quod nullum impetrabunt rescriptum seu privilegium quo mediante dictum compromissum in toto aut in parte possit vitiari, sive ratione arbitrorum, sive ratione partium, et illi juri certificati specialiter renuntiaverunt.

Item, fuit actum in compromisso quod dicti arbitri possint verba compromissi interpretari quacumque, usque ad sententiam, si qua essent dubia aut obscura.

Item, fuit actum in compromisso quod (*si*) super mandamento seu mandamentis ab ipsis placitis questio seu dubium emergeret, quod illud dubium determinetur secundum voluntatem arbitrorum predictorum.

Item, et quod partes ad requisitionem dictorum arbitrorum teneantur in compromisso, seu instrumento ex eo confecto, seu instrumento mandamentorum ab eisdem placitorum, ad majorem firmitatem sigilla sua apponere.

Quod compromissum dicti consules confessi fuerunt se fecisse et compromisisse in predictos arbitros, de voluntate et expresso concensu concilii dictorum consulum et universitatis civitatis Aptensis.

Et pro hiis omnibus et singulis attendendis et complendis tam pro pena quam pro pignoribus reddendis extiterunt fidejussores, ex parte dominorum de Symiana scilicet : dominus Helias de Apta, B. de Garenbodio, Berengarius de Vaqueriis, Arnaldus de Curello, Raymundus Artaldus miles, Hugo Artaldus, Raymundus Bompar et Rostagnus fratres et milites, Bertrandus Brunus et Petrus Cornutus. Isti fuerunt fidejussores et sacramentarii, scilicet : Bertrandus de Sancto Saturnino, Gastus de Montejustino, Raymundus de Borbone, Bertrandus de Villamuris, Guill. Cornuti, Berengarius de Vaqueriis, Jacobus de Montejustino, Bertrandetus de Gorda, Guill. Petri de Gorda; qui omnes et singuli tam fidejussores quam juratores, tam pro predicta pena, quam

pro pignoribus reddendis obligaverunt, eisdem consulibus petentibus et interrogantibus, nomine consulatus, omnia sua bona presentia et futura; dantes eisdem consulibus licentiam eos pignorandi; renuntiantes super predictis specialiter certificati, et beneficio ex lege divi Adriani et nove constitutioni que dicit principalem prius fore conveniendum quàm fidejussorem et privilegio fori, et omni exceptioni doli et in factum et beneficio pacis et consulatus et demum omni alio juri quo mediante suprà dicta possent vitiari in toto aut in parte, aut etiam infringi.

Ex parte vero consulum, fuerunt fidejussores, scilicet : dictus dominus Helias Salvaticus et Raymundus Artaldus, Rostagnus Bompar milites. Fidejussores et sacramentarii fuerunt scilicet : Raymundus Artaldus, miles, Bertrandus Bompar, Guillelmus de Apta, Hugo Centulio, Rostagnus Bompar, milites, Guillelmus Maneni, Guillelmus de Gargatio, Visianus Faber, Bertrandus Brunus et Petrus de Tors; qui promiserunt ipsis dominis (*de Symiana*) sed in formam qua fidejussoress dictorum promiserunt dictis consulibus.

Acta fuerunt hec in civitate Aptensi, in ecclesia sancti Castoris, in presentia Raymundi Autrici, Tibaudi Isoardi, Raymundi Petri, Guillelmi Visiani, Raymundi Sellerii, Michaelis Roque et multorum aliorum proborum virorum, militum et aliorum. Quod quidem compromissum singillatim partibus lectum partes approbaverunt.

Post hec, anno quo suprà, prefati consules, nomine consulatus, asseruerunt infrà scripta jura et capitula ad dictum consulatum pertinentia, videlicet in primis custodiam civitatis, scilicet quod debent habere et tenere claves portarum, aut alio nomine ipsorum portales claudere et aperire.

Item, vias mundare et curare ut femoracia removeantur et, si non fieret, punire inobedientes sicut alii consules qui pro tempore fuerunt puniebant et quam plurima alia capitula et jura et usus prout plenius inferius continetur.

E contra dominus Bertrandus Raybaudi et Guirandus et Raybaudus auctoritate curatoris supradicti asserebant quod merum imperium et omnis jurisdictio contentiosa pertinebat ad ipsos, videlicet habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines et datio tutoris et curatoris et universas causas audire et quedam alia quamplurima, sicut inferius plenius continetur.

Prefati vero arbitri videlicet dominus R. Aptensis archidiaconus, Raymundus Artaldi operarius, Isnardus sacrista Aptensis ecclesie, Bertrandus Boti, Tibaudus Berbiguieri, Guillelmus de Lerida, Raymundus Centulio, jurisperiti, veritate plenius inquisita tam per se ipsos quam per plures alios fide dignos, super petitionibus, capitulis, et juribus ab utraque parte propositis, auditis etiam dictis principalium personarum, dictis etiam testium diligenter consideratis et pensatis, visis etiam privilegiis imperatorum et aliis instrumentis, ab utraque parte propositis et productis et eorum tenore diligenter inspecto, habito prius super premissis plurium sapientum concilio; facta etiam comparatione instrumentorum hinc inde productorum; facta etiam comparatione juris ad factum; demum habentes pre oculis inspecti precipue utilitate communi tam Dominorum quam civitatis et civium, in modum infrà scriptum sequentia protulerunt mandamenta.

SENTENTIA

DE HIIS QUI IN SOLIDUM PERTINENT AD CONSULES CIVITATIS.

In primis, finaliter diffiniendo mandaverunt et cognoverunt quod prefati consules, nomine consulatus, et civitatis atque universitatis ejusdem, pleno jure ab hac die in anthea habeant, teneant, et possideant, aut quasy, custodiam civitatis et territorii. I. De Custodia civitatis.

Item, jus tenendi claves portarum aut alius nomine ipsorum et portales aperire et claudere et jus faciendi clausuras civitatis et jus erigendi muros et reficiendi et demoliendi, si necessarie fuerit pro utilitate civitatis et jus faciendi curare fossata. II. De Clavibus portarum et Clausura civitatis.

Item, jus mandandi excubias tam infra civitatem quam extrà. III. De Excubiis et Punitione earum.

Item, jus puniendi super premissis secundum quod consuetum est.

Item, pronuntiaverunt et mandaverunt quod consules habeant jus recipiendi sacramenta obedientie quoad jura consulatus a singulis de populo, et jus puniendi rebelles et contradictores secundum quod est consuetum. IV. De Sacrament Obedientie.

V. De Consiliariis eligendis.

Item, habeant jus eligere consiliarios in concilio generali aut secreto et ad consilium prebendum eos astringere juramento, si contra fieret ab aliquo ad hoc vocato, et punire secundum quod consuetum est.

VI. De Femoratiis et Mundatione viarum.

Item, pronuntiaverunt et mandaverunt quod habeant jus faciendi femoracia removere, et jus faciendi mundare vias tam publicas quam privatas intus civitatem et extrà, et eas sine impedimento firmare.

VII. De Cognitione stillicidiorum et fenestrarum

Item, habeant jus cognoscendi super stillicidio et jus faciendi et prohibendi ne vie impediantur per impositum hedifitium aut per aliud suprà impositum, aut per tabulas, aut scaleria, aut per aliquod consimile, ut est cognitio fenestrarum.

VIII. De Punitione rebellium.

Item, jus puniendi rebelles, sicut consuetum est.

IX. De Venatione cuniculorum.

Item, pronuntiaverunt dictos consules habere jus dandi licentiam venandi cuniculos et prohibendi et puniendi latrones cuniculorum sive de die, sive de nocte.

X. De Furonibus.

Item, habeant jus prohibendi ne quis teneat furonem aut habeat, et dandi licentiam tenendi; et si contra fieret, jus puniendi sicut consuetum est.

XI. De Punitione latronum.

Item, finaliter diffinierunt dictos consules habere jus puniendi latrones garbarum, racemorum et vitium, sive de nocte, sive de die, et jus prohibendi ne racematores intrent vineas alienas; et si contra fieret habeant jus puniendi sicut consuetum est.

XII. De Impositione fori.

Item, pronuntiaverunt et mandaverunt quod dicti consules habeant jus imponendi forum, tempore vindemiarum, tam in bestiis quam in personis: et si contra fieret, jus puniendi sicut consuetum est.

XIII. De Veto victualium et venditione venalium.

Item, pronuntiaverunt dictos consules habere jus imponendi bannum ne victualia de civitate seu ejus territorio extrahantur et jus ponendi custodes ne talia fiant et quod omnia venalia justo pretio vendantur. Si vero domini de Symiana vellent victualia de civitate extrahere proprie domui necessaria, quod possint, non obstante banno superius notato.

XIV. De Bannis.

Item, finaliter diffinierunt dictos consules habere banna omnia vinearum, pratorum, ortorum, et omnium fructuum, et arborum et quarumcunque possessionum et habere bannum de predictis sicut consuetum est.

Item, adjudicaverunt predictis consulibus quod ipsi habeant jus puniendi talatores de die. XV. De Punitio talatorum de die.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus nomine consulatus jus cognoscendi super questionibus locationum tam rerum quam personarum. XVI. De Cognitio questionun locationum

Item, adjudicaverunt eisdem consulibus, nomine quo supra, pugnaderias quascumque et mensuras minores pugnaderiis, et jus puniendi eos qui falsas pugnaderias et inferiores mensuras tenerent. XVII. De Pugnad riis et mensu minoribus

Item, pronuntiaverunt dictos consules habere brocata oley et inferiores mensuras et jus puniendi eos qui falsas mensuras tenent aut in futurum tenerent. XVIII. De Brocati et aliis mensuris ole

Item, adjudicaverunt dictis consulibus omnes mensuras vini, sive sit Cupa, sive alia mensura et jus puniendi eos qui falsas tenerent, sive in majoritate sive in minoritate. XIX. De Mensuri vini.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus omnes cannas civitatis et medias cannas, tam mercatorum quam textorum quam aliorum qui cannas habent aut tenent; et jus puniendi eos qui falsas cannas et medias cannas tenerent. XX. De Canni et mediis Cannis.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus omnia pondera qualia specierum, quam cere, quam cepi, quam saginimis et bladi et omnium omnium aliarum rerum que ponderantur aut pondere venduntur et jus puniendi eos qui falsa pondera tenerent. XXI. De Ponderib omnium rerum.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus jus puniendi eos qui falsitatem comiserint in coreis, pipere, ficubus, et castaneis, cera, seu aliis mercimoniis que in foro seu nundinis seu aliis diebus in civitate Aptensi venderentur seu ad vendendum ab aliquo aut ab aliquibus exponerentur. XXII. De Punitior illorum qui falsitate committunt

Item, voluerunt et mandaverunt quod dicti consules habeant curam carnium, macellorum videlicet, ut ubi carnes vendantur sine contagione, sine vitio, sine mendacio, et sine infirmitate, et jus puniendi eos qui in supradictis comitterent. XXIII. De Curâ carnium.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus ne carnes morbose, seu tantum fortuito mortue; aut vrine (*sic*); nisi ubi consules voluerint, XXIV. De eâdem et punition earum.

vendant et jus expellendi si eis videbitur faciendum; et si contrarium fieret, jus puniendi et mutandi macellum.

XXV. De Curâ panis.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus jus panatarie, curam panis scilicet, quod bene coquatur et sine inmoratione fiat et justo pretio vendatur et si contrarium fieret ab aliquo aut ab aliquibus jus puniendi eos.

XXVI. De Elevatione cathenarum.

Item, adjudicaverunt jus imponendi et elevandi cathenas infra civitatem aut extrà in burgis et proprietatem earumdem.

XXVII. De Clausuris possessionum et cognitione exituum.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus jus clausurarum omnium possessionum et cognitionem super exitu quarumcumque possessionum.

XXVIII. De Creatione judicum.

Item, voluerunt et mandaverunt quod dicti consules habeant jus creandi judicem et notarium in civitate Aptensi, in juribus consulatus nominatis et nominandis.

XXIX. De Convocatione populi.

Item, adjudicaverunt eisdem jus convocandi populum et faciendi parlamentum et destinandi preconem per civitatem, intùs et extrà.

XXX. De Exactione cautionum.

Item, pronuntiaverunt dictos consules habere jus exhigendi cautiones et satisdationes a civibus quibuscunque; causis seu rationibus propter quas exhigunt minime exprimendis.

XXXI. De Fidejussione danda pro consolatu.

Item, voluerunt et mandaverunt quod dicti consules possint mandare et precipere omnibus ut fidejubeant pro consolatu et pagatores existant.

XXXII. De Compulsione patris pro filio et e converso.

Item, adjudicäverunt eisdem jus compellendi patrem pro filio et e converso; et maritum pro uxore et e converso, in fractione banni tantum.

XXXIII. De quibus possint consules vocari in judicio.

Item, voluerunt et mandaverunt ut consules dum existunt in dignitate consolatus non possint in jus vocari nisi specialiter renuntiaverint beneficio consolatus; deposito vero officio, de suis propriis factis atque delictis ut ceteri privati respondere teneantur.

XXXIV. De Rixantibus.

Item, voluerunt et mandaverunt quod dicti consules habeant potestatem compescendi rixantes, si contingeret rixam fieri, aut pelegiam, in civitate aut extrà, inter aliquos, et recipiendi securitates a rixantibus et reducendi ad concordiam, ne in rixam ulterius protendatur, salvo in omnibus jure curie dominorum de Symiana.

Item, pronuntiaverunt dictos consules habere jus cognoscendi ut casei rescentes bene preparentur et quod contagium in eisdem non comittatur; et si fieret, jus puniendi. XXXV. De Caseis et curâ. eorum.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus jus cognoscendi de nayssis et de allasonatione aquarum et jus prohibendi de predictis et cursu aquarum, determinatione earumdem, ut directe aut indirecte currant, intùs et extrà, et contagia pratorum et fontium; et si contra fuerit factum in predictis, jus puniendi. XXXVI. De Nayssis et allasonatione aquarum et contagio pratorum.

Item, pronuntiaverunt ipsos habere jus prohibendi ne, tempore guerre, populus seu rayda civitatis excedat terminos a consulibus statutos aut statuendos; et si contrarium fieret, jus puniendi. XXXVII. Ne populus in rayda excedat terminos.

Item, adjudicaverunt eisdem jus recolligendi alienigenas undecunque sint et eos facere cives et inde recipere quod inter eos conventum fiat secundum quod consuetum est; si vero ratione commissi criminis vellint intrare et effici cives, consules nullo modo eos recipiant. XXXVIII. De Recollectione alienigenarum et faciendo eos cives.

Item, voluerunt et mandaverunt quod dicti consules habeant potestatem diruendi edificia seu clausuras seu alias possessiones pro communi utilitate civitatis, salvo jure possessionum dominorum, possessionum seu edificiorum. XXXIX. De Directio edificiorum

Item, adjudicaverunt eisdem consulibus potestatem mittendi preconem per civitatem et forum ut quilibet possit venire secure ad forum aut nundinas, nisi debitor aut fidejussor, aut nisi delinquerit contrà Dominos aut civitatenses; et omnes sic venientes, eundo et redeundo Domini teneantur deffendere. XL. De mittend preconem per civitatem

Item, voluerunt et mandaverunt quod dicti consules habeant potestatem mittendi badas per montaneas et jus puniendi qui nollent obtemperare. XLI. De mittend badas per montane

Item, pronuntiaverunt dictos consules habere potestatem contradicendi revenditoribus ne audeant venalia emere ad revendendum die fori aut nundinarum, quousque transacta fuerit hora ab eis assignata; si vero contra fieret, quod possint inobedientes punire sicut consuetum est. XLII. De Contradictione revenditorum

XLIII. De Punitione latronum fori et nundinarum.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus jus puniendi latrones fori et nundinarum. Diem fori interpretati fuerunt dicti arbitri a completorio seu occasu solis diei venientis, usque ad ortum solis seu finem prime misse diei dominice proxime sequentis.

XLIV. Interpretatio terminorum fori.

Item, dicti arbitri interpretati fuerunt et dixerunt fines fori esse scilicet domum leprosorum et arcam tholosanorum que est in viâ quâ itur versus Boniles et terminum quod juxta ferraginem Guillelmi Vesianii, quondam Petri Vesianii: hii fines sunt ab oxidente; a meridie vero, terminum quod est subtus ortum Bertrandi Boti et molendinum quondam Petri Raymundi et protenditur usque ad molendinum de Lacoysteña; ex parte vero orientis, crucem fontis Gayrardi et protenditur per stratam publicam usque ad reclusum et a recluso recta linea usque ad Peyram vassalli; ab aquilone vero, in tantum quantum protenditur in futurum circumquaque.

XLV. De Punitione singulorum premissorum.

Et in hiis supradictis, eisdem adjudicatis, dicti consules, si contrarium fieret, habeant jus puniendi sicut consuetum est.

XLVI. De punitione illorum qui miserunt ignem.

Item, pronuntiaverunt dictos consules habere jus puniendi eos qui miserint ignem de die in sapulam suam aut consimile, et flatu venti dampnum dederit dictus ignis.

XLVII. De Collecta denariorum et bladi.

Item, adjudicaverunt dictis consulibus jus faciendi collectam pro communi utilitate civitatis et civium tam denariorum quam bladi, et hoc de consensu concilii, alias nequaquam.

SENTENTIA

DE HIIS IN QUIBUS DOMINI DE SYMIANA HABENT ET PERCIPIUNT TERTIAM PARTEM.

I. De nero imperio.

Item, prefati arbitri judicando pronuntiaverunt dominos de Symiana videlicet dominum Bertrandum Raybaudi, et Guirandum et Raybaudum fratres et filios quondam domini Guideti de Symiana, habere in civitate Apteusi et territorio ejusdem merum imperium, veluti habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines.

Item, adjudicaverunt eisdem jus dandi tutores seu curatores; tam in litem quam extrà litem. II. De Dationi tutorum et curatoru

Item, voluerunt et mandaverunt quod apud eos seu judicem eorum fiat insynuatio testamentorum et publicatio testium et testamentorum. III. De Insynua tione testa mentorum

Item, insynuatio donationum. IV. De eadem, in donation bus.

Item, pronuntiando dixerunt quod ipsi domini possint judicem seu judices statuere et notarium in civitate Aptensi. V. De Judicibu et notariis

Item, pronuntiaverunt et dixerunt ipsos habere jus puniendi latrones totius septimane omnium rerum; hiis exceptis que continentur in juribus consolatus. VI. De Punitio latronum.

Item, pronuntiaverunt ipsos habere jus mittendi in possessionem, ex omni causa legitima tamen. VII. De Immissio possessionun

Item, pronuntiaverunt dictos dominos habere cavalcatas in civitate Aptensi, cum habent propriam guerram; ita tamen quod si qui fuerint profecti cum congruentibus equitaturis et armaturis, milites seu burgenses illi debent ire ad expensas et ad emendam Dominorum, postquam exierint a domibus propriis; pedites vero, propriis expensis suis. Tamen si dicti domini vellent exigere pecuniam pro dicta cavalcata, non possint. VIII. De Cavalcat

Item, adjudicaverunt eisdem fabricaturam monete et cursum ejusdem. IX. De Fabric tura monet

Item, pronuntiaverunt ipsos habere cupam oley et eminam bladi et salis et calcis et cineris et ruffi et jus puniendi eos qui in supradictis falcitatem commiserint. X. De Cupa o et eminis.

Item, adjudicaverunt eisdem jus hospitandi in hospitis publicis albergariorum civitatis, et bestias suas et sociorum suorum sine pecunia hospitari; hospites vero pro qualibet bestia possint accipere unam pugnadam civade. Si vero contrarium fieret ab albergatoribus, jus puniendi secundum quod consuetum est. XI. De posse hospitari in hospitii albergariorum

Item, voluerunt et mandaverunt quod si contigerit venire Dominos in civitate Aptensi, quod illi qui habent victualia venalia teneantur recipere pignora sua et sociorum suorum sufficientia, et dicti domini XII. De Pignorib tradendis per domin

teneantur ea pignora redimendi usque ad mensem. Elapso vero mense, facta denunciatione judici prius, dicti creditores possint predicta pignora obligare seu distrahere et pretium suum recuperare sicut consuetum est; et si nollent recipere pignora, jus puniendi ut consuetum est.

XIII. De Jurisdictione contentiosa.

Item, adjudicaverunt eisdem totalem jurisdictionem contentiosam hoc salvo quod dictum est in juribus consolatus; in dicta verò jurisdictione habeant de libra duodecim denarios de negatis, de confessis vero sex denarios.

XIV. De conveniendo populo ad parlamentum.

Item, pronunciaverunt dictos dominos habere jus conveniendi populum ad parlamentum in loco communi et publico et faciendi convocationes cum tubis aut sine tubis, et preconisationem facere.

XV. De Latronibus molendinorum.

Item, adjudicaverunt eisdem latrones molendinorum et fractores et raptores eorumdem.

XVI. De Rixa carnificum.

Item, adjudicaverunt eisdem rixam carnificum.

XVII. De Furto facto in macello.

Item, furtum factum in macello et cohertionem solutionis macellariorum; hoc salvo quod dictum est in juribus consolatus.

XVIII. De Furto panatarie.

Item, adjudicaverunt eisdem furtum panatarie et cohertionem solutionis..... omni tempore et demum furta omnia; hoc salvo quod dictum est in juribus consolatus.

XIX. De Extractione cultelli.

Item, adjudicaverunt eisdem jus puniendi eos qui extraxerunt cultella, causa percutiendi alium, secundum quod consuetum est.

XX. De sanguinis Effusione.

Item, adjudicaverunt eisdem eos qui fecerunt sanguinis effusionem, secundum quod consuetum est. Si vero contigerit aliquem graviter esse vulneratum, illud relinquatur arbitrio judicantis.

XXI. De Talis nocturnis.

Item, adjudicaverunt eisdem omnes talas de nocte factas et jus puniendi eos qui de nocte talaverint; ita tamen quod dicti domini seu judex eorumdem teneatur infligere eis penam a lege debitam et traditam. Si vero contigerit judicem dominorum pro dictis talis penam pecuniariam infligere, inspectis personis et qualitate facti, etiam medietas pene pecuniarie consulibus applicetur; alia vero medietas predictis dominis. Si tamen contingerit confiscationes sequi ex suprà

dictis casibus secundum quod jura volunt : ut puta si talanti aut talantibus non superesset heres; tum bona talantium aut talantis predictis dominis applicentur tanquam commissa.

XXII. Interpretatio talarum de nocte.

Talas de nocte factas sic interpretati fuerunt dicti arbitri que maligno animo fiunt cum baculo sive securi, aut alio genere ferri, in segetibus, vineis, arboribus, cannabis et caulibus.

XXIII. De Fidejussoribus dominorum.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si aliquis miles seu burgensis seu alius civitatis Aptensis fidejusserit pro dominis aut alicui ipsorum, quod predicti domini teneantur illum aut illas sistere indempnes ex omni dampno quod indè patirentur. Si vero ille aut illi super predictis intercessionibus convenirentur aut dapmnati essent aut domini stetissent in fidejussione, facta priùs denuntiatione judici, quod tunc predictus fidejussor seu fidejussores possint predictos dominos seu eorum subjectos pignorare.

XXIV. De quibus curia non potest aliquid exhigere.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si aliqua meretrix aut homo vilis ut puta tabernarius, leno et hujusmodi, verba contumeliosa dixerint aut aliquam injuriam fecerint alicui probo viro et bone comitationis aut etiam alicui bone matrone, et ille aut illa inde vindictam moderate acceperint (moderatam intelligunt citra sanguinis effusionem et cultelli extractionem), quod propter hujusmodi vindictam curia nihil possit petere aut exhigere a predictis.

XXV. De Agressione talantium de nocte.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si quis exiret ad custodiendum possessiones suas aut vicinorum suorum et inveniret aliquos talantes de nocte et aggrederetur eos vulnerando aut aliter; quod propter illam aggressionem curia non possit eum aut eos in aliquo condempnare.

XXVI. De non extrahendo delinquentes à civitate.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si quis comiserit aliquod delictum in civitate Aptensi, seu territorio, quod ab ipsa civitate non extraatur et si caperetur extra fines territorii civitatis quod ad eamdem civitatem reducatur et ibidem puniatur.

XXVII. De illis qui non possunt tenere per dominos contra voluntatem consulum.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si comiserit aliquod delictum contra aliquem civem Aptensem aut contra consules seu universitatem ejusdem civitatis, quod domini non possint ipsum recipere nec tenere contra voluntatem consulum seu civium, sed ipsum teneantur reducere ad civitatem et ibidem punire.

XXVIII. De Comanda seu deposito on capiendo.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si aliquis de terrâ dominorum aportaret in civitate Aptensi aliquid pro comanda aut depositione, quod illud non possit capi a dominis aut a judice, seu bajulo ipsorum nisi ratione comissi criminis, aut alia justa de causâ.

XXIX. De civibus ranseuntibus per terram dominorum.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si aliquis civis Aptensis faceret transitum per terram dominorum cum animalibus propriis, quod domini non possint occasione dictorum animalium recipere pedagium neque pulveragium, neque aliquod malum usaticum, malam que servitutem in aliquo imponere.

XXX. De posse lenhayrare n montaneis dominorum.

Item, voluerunt et mandaverunt quod predicti domini non possint a civibus Aptensibus habere sepagium de montaneis suis, habitis vel habendis, nisi sex denarios pro asino et duodecim pro bestia grossa; et hoc semel in anno. Milites vero liberi maneant.

XXXI. Quod domini non possint npedire depotum aut commodum.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si aliquis de aliena jurisdictione seu terra deponeret aut comandaret aliquid in civitate Aptensi et eveniret casus quod domini de Symiana et domini illius deponentis haberent guerram, quod domini non possint impedire quominus predictum depositum aut comodatum restituatur, quod deponens salvum haberet.

XXXII. De Eminis. tenendis.

Item, voluerunt et mandaverunt quod quilibet de civitate possit tenere eminam, tamen legalem, et ad illa non teneantur in fraudem dominorum.

XXXIII. De Laudimiis et Trezenis non exhigendis.

Item, voluerunt et mandaverunt quod domini antè dicti aut successores eorum, non possint nec debeant exhigere, percipere, aut habere Trezenum seu laudimium ab aliquo de civitate Aptensi, occasione alicujus possessionis ejusdem civitatis seu ejus territorii, nisi de predictis possessionibus prestet eisdem certa pars aut certum fructum.

XXXIV. De Actis traendis et defensione reservandâ.

Item, pronunciaverunt quod quicumque judex ex officio suo procederet ad inquisitionem faciendam in casibus licitis et consuetis; quod judex teneatur, ad requisitionem partis contra quam inquiritur, acta inquisitionis reddere et omnes legitimas dissensiones sibi reservare.

XXXV. De Sacramento non recipiendo, etc.

Item, voluerunt et mandaverunt quod dicti domini non possint nec debeant ab aliquo seu ab aliquibus de civitate contra consules aut

contra jura consolatus recipere sacramentum; ymo debeant pro posse suo consules juvare, et consules super consimili predictos dominos, versâ vice. Si vero contigeret aliquos de civitate facere conventicula seu conspirationem illicitam, quod domini possint eos punire; et quod domini aut consules talibus conspirationibus, sub pena superius nominata, non intersint.

XXXVI. De quibus judex potest comdempnare cives si sibi non paruerint.

Item, voluerunt et mandaverunt quod si judex ex sui officio (*sic*) velit inquirere in casibus licitis et consuetis contra aliquem de civitate et ille citatus venire noluerit, aut judici aut bajulo obtemperare, tunc possit judex inquirere et ipsum condempnare; *et* si non habeat unde solvere possit, eum capere, nulla reservata sibi deffensione.

XXXVII. De mittendo adversarium in possessionem.

Item, pronunciando mandaverunt, quod si judex dominorum predictorum aliquem citaverit ut veniat ad curiam, alicui responsurus, et hoc semel secundo, vel tertio, et ipse venire noluerit aut venerit et illicentiatus recesserit; idem judex dominorum post tertiam citationem factam, per legitima temporis intervalla, arbitrio judicantis mittat adversarium in possessionem rei petite, aut pro modo, aut mensura debiti declarati ad instantiam partis. Si vero missus non possit per potentiam aut maliciam adverse partis possessionem nancisci, aut adeptam pacifice possidere, tum solus judex, et in hoc casu tantum, ad instantiam partis...., se tueri in possessione, aliis auxiliis juris admissis, possit mulctam imponere inspectis personis et negotii qualitate tantum.

XXXVIII. Quod certa onera remaneant penes consules.

Item, pronunciaverunt dicti arbitri quod factis adjudicationibus ipsis consulibus de juribus supradictis, cetera omnia penes dictos dominos remaneant.

Item, voluerunt et mandaverunt quod de omnibus questionibus inter predictas partes hucusque motis aut *que* moveri potuerunt usque ad diem compromissi sit nunc et in perpetuum pax et finis. Amen.

PRIVILÉGES MUNICIPAUX

DE

LA CITÉ D'APT.

En Nom de Dieus, de la Verges Marie, Mayre Siena sie. AMEN.

Aysso son los priveleges, franquesas, libertatz, e immunitatz, bonas costumas e bons usages, loscals an e an costumat dauer los ciutadans e habitans en la ciutat d'At, autreiatz tant per lo comte Berenguier, lo rey Karle premier, els autre predecessor, reys e comtes de Proensa e de Forcalquier, e ufficials siens.

I.

Premieramens avem privelege del rey Loys, e de Madama Johanna la reyna, e exsequtorias fachas per Mossen Folco d'Agout, senescal de Proensa, que cant si estalua que nengun litigant o plandeiantz en las cortz dels prelatz o dels barons, si appella a la cort reginal o al juge de las premieras o segonnas appellations, que aqui on ses appellat la question si pot termenar e fenir, non obstant que li dich prelatz o barons aguessan o ayan juges de premieras o de segonnas appellations.

II.

Item, avem privelege que la cort reginal deu connoysser del fach de las regalias e non deguna autra cort, non obstant calque privelege a ellos concentitz e autreiatz per los ditz senhos nostres rey e reyna.

III.

Item, avem privelege que degun ufficial reginal non puesca cos-

trenher degun ciutadan o habitant en esta ciutat de estar al dich d'una garentia, sobre causa criminal, sotz la pena de cent liuras cometedoyra per lo juge, e de vint e sinc liuras per lo notari que contra farien, aplicadoyras al fisc.

IV.

Item, avem privelege que los carceries non deyan ren penre de carcerage daquellos que serien encarceratz per deutas fiscals o per causas criminals, los cals macula de crim non constrenh, sotz la pena de detz liuras e de restitution del doble de so que naurien agut.

V.

Item, avem privelege que degun sosviguier non deu ren penre daquellos que adus a la cort o a la carcer per las causas criminals, sotz la pena de detz liuras e de restitution del doble.

VI.

Item, avem privelege que degun notari de la cort non ausi ren penre dels inventaris confezidors per ellos, daquellos que serien delatz en la cort, sotz la pena de des liuras et de restitution del doble de so que en aurien pres.

VII.

Item, avem privelege que degun blasfemant, o jurant lo nom de Dieu o de la Verges Marie mayre siena, o dels santz, non puesca esser condampnat en plus que si conten en lestatut reginal.

VIII.

Item, avem privelege que degun juge delegat o comissari elegidors en las causas fiscals o criminals per deguna causa que toqui lo fisc, per lur sportulas o per degun autre celari, non deyan ren penre, sotz la pena de sinquanta liuras e del doble de so que en aurien agut restuir a la part.

IX.

Item, avem privelege que los notaris de la cort, al criminal o al civil deputatz, en las cartas de las sentencias non deyan metre si non soletamens la mera substancia del fach, e non autras prolixitatz, sotz

l pena de detz liuras, aplicadoyras al fisc, e de restitution del doble, fazedoyra a la part de so que en aurien agut; e li juges que donarien la sentencia en aytal forma porton la semblant pena.

X.

Item, avem privelege que los ditz notaris non ausan trayre deguns cartolaris o prothocols dels contratz delscals ellos recebrien, o autras scripturas publicas que recebrien en la dicha ciutat, si sestalvava aquellos muydar lur domicili allons, mas aqui los deyan layssar e a lur successors en luffici assignar.

XI.

Item, avem privelege que tot juge de la dicha cort deya totz los processes criminals que trobaria termenar, denfra son tems, e non allongar, condampnant o absolvent, sotz la pena de vint e sinc liuras.

XII.

Item, avem privelege que tot notari de la cort al criminal deputat, en las enquestas que fara, deya metre lo nom del denunciant, sotz la pena de vint e sinc liuras, e lo juge lo nom del dich denunciant y deya far metre, sotz la pena mezema, e que lo dich denunciant non deya portar testimoni de so que aurie denunciat, sotz la dicha pena.

XIII.

Item, avem privelege que degun juge non deya ren penre dels decretz ni de sentencias interloqutorias, ni diffinitivas, dels litigantz o plandeiantz, ni dels delatz, con sie causa que ell aya stipendis e gages de la cort, e non ren mens navem una letra senhada per lo nombre de sotz scrich, sotz la pena del doble restituir a la part, e aytant a la cort.

XIV.

Item, avem privelege que los clavaris non deyan ren *penre* de lur trebalh, ni per scripturas, ni per dictas, ni per autras causas, de las causas que farian, tocant al fisc, dels Sotzmesses reginals, sotz la pena de restitution del doble a la part, e aytant à la cort.

XV.

Item, avem privelege que li dich clavaris non deyan scriura, ni per ellos, ni per lur substitutz, deguns processes criminals, sotz la pena di vint e sinc liuras.

XVI.

Item, avem privelege que degun notari de la cort non ausa far deguna carta absolutoria, o trayre la a la part, si non que en sie requist, e cant en serie requist las deya far segon la forma e la maniera del capitol sobrescrich, so es asaber que non y meta mas tant solamens la mera substancia del fach, e non autras prolixitatz, sotz la pena de detz liuras aplicadoyras a la cort, e de restitution del doble, fazedoyra a la part de so que en aurie agut.

XVII.

Item, avem privelege que lenquantayre de la dicha cort non deya penre otra la forma que es agut costumat el temps de nostre senhor lo rey Robert, de las causas lascals enquantaria, sotz la pena del doble restituir a la part de qui lo aurie agut, e es la forma, e la maniera aquesta que si sec :

Premieramens deu penre lo dich enquantayre de vint soutz o de de mens, mealha per cascun sout.

E de vint soutz entro detz liuras, quatre denies per cascuna liura.

E de detz liuras entro vint liuras, tres denies per cascuna liura.

E de vint liuras entro sinquanta liuras, dos denies per cascuna liura.

E de sinquanta liuras entro cent liuras, tres mealhas per cascuna liura.

E de cent liuras aensus, detz soutz per cascun centenal.

XVIII.

E cant lo dich enquantayre a enquantat una causa, a ponch de liurar, e estalva si que non si liura, el deu aver tant solamens miech enquant, en la forma dessus declarada.

XIX.

E los capitols sobrescritz son contengutz en alcun privelege real e

reginal, de dos sagels pendentz sagellatz, e la exsèqutoria seguda per lo dich senescal, senhat de sobre el dos per lo nombre de 1. del qual privelege la tenor ayssi apres sensec dedins scricha :

LA TENOR DEL DICH PRIVELEGE.

« Ludovicus et Johanna Dei gratia rex et regina Jherusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comites, universis et singulis presentes nostras litteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Que pro subditorum nostrorum utilitate petuntur quantum honeste possumus libenter audimus, et super eisdem prompto animo nostras concedimus litteras speciales. Sane pro parte universitatis hominum civitatis Apte fuit magestati et excellentie nostre humiliter supplicatum quod cum noviter quedam statuta seu constitutiones fecerimus pro comoditate tam nostre curie quam pro relevatione gravaminum subditorum nostrorum comitatuum eorumdem quod de eisdem faceremus eis fieri copiam per nostras litteras speciales; cui petitioni ut pote juste dantes exauditionem benignam, litteras nostras seu earum tenorem, statuta et constitutiones easdem continentes, presentibus inseri fecimus nullo addito vel substracto quarum litterarum tenor sequitur qui talis est.

» Ludovicus et Johanna Dei gratia rex et regina Jherusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comites, Senescallo comitatuum nostrorum Provincie et Forcalquerii, ac uniuersis et singulis officialibus nostris, quacumque distinctione seu denominatione notatis in comitatibus eisdem ac aliis nostris subditis comitatuum eorumdem presentibus et futuris fidelibus nostris, gratiam et bonam voluntatem. In virtute legis civilis, et statutorum regalium, principes subjectos regunt populos, et seminaria pacis et quietis radicant, nec minus rerum opulentia inde subjectis provenit per ministerium distributive justitie que ex ordinata legis dispositione progreditur ad justa regimina populorum. Sane noviter ad maiestatis et excellentie nostre presentiam providi viri Philippus Pererii, de Aquis, miles, Rostagnus Gantelmi, de Tharascone, Jacobus Riquerii, Allemanus de Nicia, Lantelmus Jarenti, de Systarico, et Gaufridus Augerii, de Grassa, ambassiatores et nuntii universitatum, civitatum et locorum nostrorum domanii comitatuum eorumdem venientes, et in nostri audientia constituti, nonnulla gravamina po-

suerunt que passi sunt hactenus, et que patiuntur ad presens contra justitiam per officiales nostros illarum partium, minus debite opprimentes eosdem; exponentes etiam cum curiosa instancia, zelo devotionis accensi ex importunitate petentium, et aliàs ex inadvertentia nos concessisse diversis jura nostra regalia, et alia que nostrum principale dominium respiciunt jure prebeminentie singularis; supplicantes fervore fidei eis adhiberi medelam, nostra dominica potestate, de oportuno remedio eis ordinatione provida per formam constitutionum regalium edendarum salubris provisio cum deliberatione consilii adhibendi veniret.

Item, avem carta que li juges o li autres ufficials que serien els conselhs devon jurar de tenir segret las causas que si dirien els conselhs; la cal carta es senhada per lo nombre de LXX.

CXXII.

Item, avem una carta que si la gran verga del rey auque si pezan los blatz e las farinas non podie o non volie pezar, que non sen deu ren penre per pes; senhada per lo nombre de LXXI.

CXXIII.

Item, avem la carta de la limitation del symenteri de levescat e consi alcuns promeron de far plassa en la plassa d'avant levescat en que si poguessan far taulas per lo mercat; la cal carta es senhada per lo nombre de LXXII.

CXXIV.

Item, avem carta e letra que tota persona pot compra totas denayradas e atréssi per revendre de calque hora que om vuelha, e la cort non o pot ni deu prohibir, si non a requesta del conselh. La cal carta es senhada per lo nombre de LXXIII.

CXXV.

Item, avem letra exsequtoria de mossenhor lo senescal que madama la reyna confermet los preveleges antics de sos predecessors, senhos nostres, que lo castell de Sanhon fos tostemps del demani ambe la ciutat d'At, e que jamays non lo pogues trasportar en autre que en sos legitimes heres e successors; e consi non avent memoria dels preveleges antics de la dicha ciutat, name donacion facha daquello a mossen Johan Borgonhon cavallier de la villa, la cal revoquet. La cal carta es senhada desobre el dos per lo nombre de LXXIIII.

CXXVI.

Item, avem privelege de nostre senhor lo rey Robert que aquellos que devon ren al comun si podon compellir en la forma que la cort a acostumat de exhigir las monedas fiscals. Lo cal privelege es senhat desobre el dos per lo nombre de LXXV.

CXXVII.

Item, mays avem una carta daquo mezeme senhada desobre el dos per lo nombre sobre dich de LXXVI.

CXXVIII.

Item, avem carta que lo juge revoquet alcuna crida que avie fach far que tota persona que fora citada degues compareysser per la premiera citation sotz la pena de sieys denies, e per la segonna sotz la pena de dos soutz, e per la tessa de sinq soutz; car era contra nostras bonas costumas. La cal carta es senhada per lo nombre de LXXVI.

CXXIX.

Item, avem mays un autra carta que lo juge de la dicha cort non

ausa penre de cascun sagell de las actas mas un gros. La cal carta es senhada per lo nombre de LXXVII.

CXXX.

Item, avem carta consi lo juge o lo clavari deu cascun an far acampar lo conselh; que li nommon personas ydoneas e couenhablas, bonas e sufficientz, o per gardas e per custodias dels frucs e del terrador. Senhada per lo nombre de LXXVIII.

CXXXI.

Item, avem letra de mossenhor lo senescal que si li banhies non an demandat los bans denfra huech jors apres que serien comesses, que pueys passatz los huech jors non en puescan demandar degun. La cal letra es senhada per lo nombre de LXXVIIII.

CXXXII.

Item, avem una carta con lo rey Robert mandet àls ufficials de la dicha ciutat que deguessan amdar a lur poder a sostenir que lo terrador de la dicha ciutat non si occupi per degun ni lo laysson occupar.

CXXXIII.

Item, mays a en la dicha carta consi fon comandat per lo juge d'At en exseqution de las letras reals que los gages que avien pres dels homes de la ciutat alcuns barons e nobles per las possessions que avien en lur terra per un subcidi real, lur fossan tantost rendutz, car non eran tengutz de pagar en degun subcidi real. La cal carta es senhada de sobre el dos per lo nombre de LXXX.

CXXXIV.

Item, avem privelege que los ciutadans e habitans en la dicha ciutat d'At, empero christians, non son tengutz de pagar peage, portanage, leydas, cossas, ni polverage, els comptatz de Proensa ni de Forchalquier ni en deguna autra terra del rey, la cal a aras e aurie per temps passar per aquella, ambe mercadarias, avers grossas e menutz, mersarie, o autras causas.

CXXXV.

Item, ya un autre capitol que si lo juge non volie far acampar lo conselh, e ell non y volie venir, que nos lo podem far acampar, mas que lo luoctenent o lo clavari sie present en lo dich conselh; e si lo dich juge lur comandava que non y venguessan el dich conselh, ell non o pot far.

CXXXVI.

Item, ya autre capitol que totas las questions dels ciutadans que serien entre ellos e en los luocs del demani, dedins seyssante jors utils si se deian termenar e desesir, denfra los cals cascuna de las partidas aya mostrat de son drech, si non daqui avant non serie ausida, e si si appellava de sentencia interloqutoria, si non que aguessa forsa e razon de sentencia diffinitiva, que non sie admessa, mas sentencia diffinitiva si doni; de la cal sentencia si si apellava en lauditori de la apellation dedins huech mes, e si segonnamens sapellava dedins sieys mes, si deguessa per las pars proar, concluyre, e renuntiar, e per lo juge de la apellation sentencia donar. Dautramens la premiera o la segonda sentencia a exseqution si mandi.

CXXXVII.

Item, y a autre capitol que podom far far e far sonar una campana e cloquier en lostal de la ciutat per acampar lo conselh cant serie necessari o avist als syndegues de far lo acampar; de la cal campana los syndegues o lo conselh tengan la clau, e que la dicha campana pot sonar per lo gach de la nuech que sappella lo sens de carriera, per espazi degut e a la hora costumada.

CXXXVIII.

Item, ya autre capitol que los banhies sien tenguts de desnuntiar lo banh ad aquell del cal serie la possession en la cal lo dich banh serie comes, per tal que lo senhor del cal serie en puesca aver esmenda, e dautramens lo dich banhier non lo puesca exhegir, e que lo juge los deya compellir a denuntiar los taladors e lo dan donat.

CXXXIX.

Item, ya autre capitol que lo conselh pot lo noven del vin metre e allonga entro que la fortification de la dicha ciutat sie plenieramens facha, convertedor lo dich noven en la utilitat de la dicha fortification de la ciutat sobredicha, e lo dich noven cant lur plasirie revocar sensa autra licentia de la cort ni de sos ufficials demandar e sensa lesion de la cort davantdicha.

CXL.

Item, ya autre capitol que nos nos podem alegrar de totz los autres capitols consentitz als senhos prelatz e nobles, contengutz en lo dich privelege, e daquellos usar e dels estatutz Proensals acostumatz els comtatz de Proensa e de Forchalquier segon que a nos toca e nos specta.

CXLI.

Item, ya autre capitol que foron confermatz als Juzieus, incolas e habitantz en la dicha ciutat totz lurs priveleges, libertatz e immunitatz, cals que fossan, que lur eran estatz consentitz o donatz per lo comte Berenguier e sos successors entre al jorn el dich privelege contengut.

E totz aquestos capitols son contengutz en alcun privelege, an sagell pendent sagellat, senhat per lo nombre de LXXXI.

CXLII.

Item, avem un autre privelege que los sindegues e lo conselh de la dicha ciutat podon metre e meton, crean, fan e aordenan un notari en la cort real de la dicha ciutat, tant al criminal cant al civil, so es a saber en las causas que tocan la cort real, e las causas que sapertenon a la dicha ciutat e als ciutadans e habitantz aras e per temps esdevenedor, en la forma e en la maniera que las ciutatz d'Arle e de Masseylha aytals notaris an costumat d'elegir e d'aver. Lo cal privelege es senhat per lo nombre de LXXXII.

Aysso son las antigas costumas, lausadas, aproadas e observadas en la ciutat d'At, del jorn que saentras li ciutadans e los consols de la dicha ciutat doneron e autreyeron a la cort real lo consolat; las cals la communitat e li ciutadans avien e an costumat d'aver.

Premieramens, podon et volon li dich ciutadans elegir conselh et conselhies tantos cant lur plas, e aquellos cant lur plas a lur voler revocar, e dautres elegir, e far acampar lo conselh, present lo Baylle del rey de la dicha ciutat, e ordenar en conselh las causas que lur plas d'aordenar per la utilitat comuna de la dicha ciutat e de totz los ciutadans e habitantz en aquella; e so que saordena en conselh, la cort es tenguda e a costumat de far observar tant can statutz annuaxals, e aquellas atressi lo conselh si li plas pot revocar, e aquellos que son de conselh podon lo conselh renovellar sensa far deguna autra congregation de gentz.

Item, lo dich conselh pot present lo baylle sobredich elegir cascun an sindegues e aquellos cant lur plas revocar; li cals podon e devon en nom de la ciutat sobredicha los negossis de la dicha ciutat procurar e deffendre sensa licentia de Ma'or e sens deguna autra solempnitat de drech.

Item, lo dich conselh pot e deu elegir, e reyre elegir, ayssi con de sobre, un notari o scriptor que scriva las causas aordenadas en conselh, non requist degun autre notari de la cort.

Item, lo conselh sobre dich, present lo baylle dessus dich, pot e a costumat d'elegir extimadors o crumenals dedins e deforas, lícals una ves tant solamens, aguda licentia del baylle sobredich, podon connoysser de motas e diversas causas occurentz dedintz et deforas, e si sta a lur connoyssensa; si non, que si recorra a arbitri de bon Baron al cal an costumat de recurre li ciutadans sobreditz.

Item, a costumat lo dich conselh d'eligir pesadors de pan, li cals an

la cort sobredicha devon pezar lo pan dels revendedors o dels pestres e reconnoysser de pes ayssi con es costumat; e si troban degun falhent e pan de mespes, lo pan es comes, del cal la tersa part es de la cort, e la tersa dels pezadors, e l'autra tersa es de la caritat que si costuma de far en la dicha ciutat.

Item, a costumat lo dich conselh d' elegir remezuradors de vin que lialmens si mezuri en la dicha ciutat, ayssi con es costumat.

Item, an costumat d' elegir, ayssi con de sobre, regardadors de las carns e dels peyssons, ayssi con es costumat.

Item, a costumat lo dich conselh delegir allialadors dels pezes e de las mesuras.

Item, an costumat li ditz ciutadans d'enpauzar e de far talhas, quistas, prestz, adempres vintens, e aytals causas semblantz, per la fortification e autres negocis de la ciutat sobredicha, sensa licentia de la cort, e dauzir razons de las causas receupudas e administradas, e quitar, e sobre aquo elegir ausidors de contes.

Item, con sie causa que la dicha cort aya lo drech del pes en la dicha ciutat, que cascun pezant causas vendoals paga un denier per quintal; empero li ditz ciutadans podon pezar entro la quantitat de XXV liuras, sensa ren pagar e sens degun permditi.

Item, podon li ditz ciutadans pezar lurs causas e lurs mercadarias, cals que sien, e aquellas reconnoysser, e vergas e pezes propris aver e tenir, cals que si vuelhan, e de calque quantitat de pes sien, e non son per aquo tengutz de pagar ren de pes a la dicha cort; cant empero si vendrien, lo dich pes si paga e non autramens; e si se vent als extranis o per los extranis, li extranis pagan lo pes; e si entre los ditz ciutadans si vent, lo pes si deu pagar per miey entre ellos.

Item, an en costuma d' elegir capitani en temps de guerra o de sospiecha e de nommar lo; lo cal a requesta del conselh si conferma per lo senescal e la cort davant dicha; an semblant poder als capitanis generals deputat, al cal li ditz ciutadans obesiysson en totas causas spectantz a son uffici. E dautramens la dicha cort non a costumat de far ni daordenar capitani en la dicha ciutat, e si al conselh pals, aquell capitani pot revocar e un autre de novell elegir.

Item, son e an encostuma lo drech de tenir las claus dels portals e aquellos ubrir e serrar; e drech de far las clausuras de la dicha ciutat; e drech de far a refar los murs, e aquellos, si mestier era, demolir e vallar per utilitat de la ciutat; e drech de far curar los vallatz.

Item, e drech de mandar gardas tant dentra la ciutat que deforas.

Item, an de costuma, ayssi con de sobre, lo drech daver e de tenir la garda de la ciutat sobre dicha o de son terrador.

Item, an de costuma lo drech de metre e levar cadenas denfra la dicha ciutat per los cantons e per las carrieras daquella.

Item, an de costuma e drech de contradire als revendedors que non auson comprar ren, per revendre, entro que sie passado la hora per ellos assignata o assignadoyra.

Item, son e an encostuma que si sestalva degun de la dicha ciutat fora de la ciutat o de son terrador esse pres o detengut o en autra maniera emuriar, o si ren dellos era detengut non justamens, que la dicha cort, a sos propris dispens, aquell o aquellos e lurs causas sie tenguda de demandar e de requerre e daver, ayssi con an lo senhor de Casanova.

Item, son e an de costuma que si deguna putan o home vil e de vil vida, ayssi con son seguentz tavernas e putans e lurs semblantz, disien paraulas contumeliosas o fasien deguna injuria a degun bon home o bona femna e de bona condition, e aquell o aquella moderadamens en prenie veniansa, sensa effusion de sanc, e extraxion del cotell, que per aquella veniansa la cort non pot ni deu ren demandar ni exhigir daquellos, ni far enquesta

Item, an de costuma que si degun yssie defora la ciutat gardar sas possessions o de sos vezins, e y trobava res calant de nuetz, e los assalhie, e los nafrava, o dautramens, que per aquo la cort aquell o aquellos non pot en reu condempnar ni far enquesta.

Item, an de costuma que si degun cometia degun delit en la ciutat d'At, o en son terrador, que de la dicha ciutat non si deya trayre; e si era pres fora lo terrador de la dicha ciutat que en la dicha ciutat sie tornat e aqui si punisca.

Item, son a an encostuma que cascun de la ciutat sobredicha pot tenir omnia mezuras e pezes, empero lials, e del segnal de la cort senhatz.

A ces statuts on peut ajouter la charte suivante, qui est ainsi inscrite dans le cartulaire de la ville d'Apt : Ayso es la copia del privilege que nengun ciutadan ni habitant desta present ciutat non pot esse juge ni baylle della, ni nengun autre strani, si non que sia graduat en drech cannon ho civil, Lo qual privilege es senhat per lo nombre de LXXXIII. *Nous ferons seulement remarquer que la date de cette charte, et surtout de son inscription, est postérieure à la rédaction des* STATUTS ET COUTUMES *qui précèdent.*

« Yolans Dei gratia regina Iherusalem et Sicilie, ducatus Apulie ducissa et Andegavie, comitatuum Provincie, Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comitissa, Baiula rectrix et administratrix illustris precarissimi primogeniti nostri Ludovici tercii, eadem gratia regnorum regis, ducatuum ducis, et comitis comitatuum predictorum; universis et singulis officialibus tam majoribus quam minoribus per comitatus nostros Provincie et Forcalquerii predictos ubilibet constitutis, tam presentibus quam futuris, quacumque auctoritate vel potestate fulciantur, et cuilibet ipsorum vel loca tenentibus eorumdem, fidelibus nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem.

» Regalis solii dignitas laude decoratur et gloria, cum se subjectis benevolam exhibet, ipsorum que petitionibus benignum prestat assensum. Sane majestati nostre porrectam devotam supplicationem, pro parte sindicorum consilii et universitatis nostre civitatis Aptensis benigne recepimus, continentem : quod cum, per imperitiam et ignorantiam judicum, multa subjectis et fidelibus nostris dampna et incommoda evenire contingat et varia inferantur injusta gravamina, prout experiencia docuit atque docet; sit que justicia in ore layci tanquam gladius in manibus furiosi; abhorreant etiam jura communia ad exercitium justicie gentes ignaras deputari vel ordinari; sit que juri et rationi consonum viros litteratos, scientificos et juris periciam habentes, ceteris, presertim in officio judicature, preferri; nos eisdem supplicantibus indulgere et benignius concedere dignaremur, quod de cetero ad officium Bajulie et Judicature ipsius nostre civitatis

Aptensis, quod per eumdem hominem semper exerceri solet, non teneantur aliquem admittere nisi fuerit graduatus, vel alias sufficienter peritus in jure canonico vel civili; cum secundum dictum legis talibus tradi debeat res publica gubernanda; cum que prout jura communia dictant, nullus debeat officium, presertim judicature, tenere in villa cujus est habitator, ne parentela, amore, vel alio illicito favore, vel odio inducatur ad aliud quam recte procedendi; hocque juxta capitula, observancias, edicta, privilegia, et statuta patrie Provincie fieri non debeat, eisdem supplicantibus clemencius concedere dignaremur; quod, de cetero, nullus civis vel incola ipsius civitatis recipiatur ad dictum officium Bajulie et Judicature.

» Notum facimus quod nos premissis attentis et aliis que in hac parte merito attendenda fuere sita, supra his nostris et regii nobis assistentis matura deliberatione consilii, eisdem supplicantibus, de certa nostra scientia, auctoritate reginali, ex plenitudine divine potestatis et gratia speciali concessimus et indulsimus et bene elargimur per presentes quod ab inde in antea nullus ad officium predictum Bajuli et Judicis curie nostre dicte civitatis Aptensis recipiatur vel admittatur exercendum, nisi sit ydoneus et sufficiens et in jure canonico vel civili peritus, et graduatus re et nomine; non sit que civis, incola, nec habitator dicte civitatis Aptensis.

» Quapropter vobis et cuilibet vestrum harumdem serie presentium expresse precipimus et districtius injungendo mandamus quod forma presentis nostre gratie, concessionis, et indulti diligenter attendentes et in omnibus suis efficaciter et inconcusse observata captis, dictam universitatem ipsa concessione uti frui et gaudere in perpetuum libere et perfecte permittentes et facientes, nil in prejudicium ejusdem presentis nostre concessionis faciatis vel attemptetis, seu fieri vel attemptari permittatis quoquomodo vel per quempiam; quum ita fieri placet ac volumus, dictis que supplicantibus de speciali gratia ut supra concedimus; quibuscumque litteris provisionis dicti officii Bajuli et judicis dicte nostre curie Aptensis in futurum fiendis, ordinationibus et mandatis non obstantibus in adversum..... datum Tharascone die VII mensis decembris, anno Domini MCCCCXXII. »

(*Suit le procès-verbal de la réception de cette ordonnance par-devant le conseil assemblé de la ville d'Apt, et du serment prêté par chacun des membres du conseil de n'y jamais contrevenir.*)

STATUTA

SIVE

LEGES MUNICIPALES ARELATIS.

(1162-1202.)

Magnum Deum et Salvatorem nostrum Jhesum Christum et ejus auxilium invocantes in cujus nomine ad omnia consilia omnesque actus progredimur, ut nostre civitatis respublica utiliter et fideliter gubernetur ad honorem sancte et gloriose Dei genitricis Marie et sancti protomartyris Stephani et gloriosi patroni nostri sancti Trophimi, et domini pape, et domini nostri regis et domini archiepiscopi Arelatis, et archiepiscopatus ejus, statuta et leges municipales Arelatis in scriptis redigi volumus ut ab omnibus facilius intelligi possint et debeant, quatenus omnes Arelatenses aut regimini et districtui Arelatis subditi, eorum tenorem manifestius cognoscentes, prohibita declinent et permissa sectentur.

ART. 1. — *De hiis qui per nuntios non venerint ad curiam.*

Ut igitur omnibus postulantibus plenarie fiat et observetur justitia, hoc primo presenti statuto statuimus quod quilibet qui per nuntium vel aparitorem curie vocatus et inventus fuerit, eadem die et hora qua vocatus et inventus fuerit veniat. Qui si facere contempserit, pro pena solvat communi duodecim denarios, nisi justum impedimentum quare non venerit se habuisse jurare voluerit; suo enim quantum ad hoc cujuslibet credi volumus juramento. Si autem secundo vocatus et inventus fuerit per aparitorem curie, et tunc venire distulerit, solvat pro pena quinque solidos.

Et si tertio forte vocatus et inventus, venire contempserit, conquerenti de suis bonis, pro mensura petiti vel declarati debiti, detur pos-

sessio tedialis; quam possessionem non amittat missus in possessionem nisi prius restitutis expensis quas fecit pro ipsa possessione habenda, si a consulibus vel a judice possessio fuit ei data; et nisi ille de quo querimoniam exposuit, ydonee satis dederit de ratione et justitia facienda, et solverit communi pro pena XII denarios pro qualibet libra. Ut autem certum sit quas expensas teneatur restituere petitori ille qui tertio vocatus non venerit, statuimus quod sex denarii dentur exequtori sive nuntio qui querelantem mittet in possessionem, et notario sex denarii pro instrumento quod de ipsa missione in possessionem fiet et omnes expensas que fiunt circa litem.

Item, has autem penas non ideo a nobis quis expensas esse intelligat, ut sic cohibitionem ejus qui jurisdictioni preest arctare velimus, imo volumus etiam quod hiis alias penas addere possit, si voluerit, jure tamen et legalibus conservatis. Si vero aliquis se celaverit vel latitaverit vocatus per nuntium curie, et de latitatione convictus, arbitrio judicis puniatur, salvis penis et aliis que sunt superius comprehense; et hoc intelligimus in prima, secunda et tertia citatione, ut si in omnibus et per omnia teneatur et contra eum procedatur ac si inventus fuisset.

2. — *De dilationibus dandis debitori pro debito confesso.*

Si quis conventus in causa pecuniaria coram judice confessus fuerit in toto vel in parte debitum quod ab eo petetur, ad satisfaciendum actori dilationes habeat unius mensis tantum, et conventus solvat illos duos denarios qui dantur notario pro libellis preceptoriis faciendis, nisi incontinenti se soluturum vel redditurum promiserit, quia tunc eadem die vel saltem crastina eum ad solutionem faciendam vel restitutionem urgeri volumus, secundum arbitrium judicantis; et hoc generaliter intelligimus in omni genere contractus et cujuscumque efficacis obligationis preterquam mutui; in mutuo enim et sine die vel incontinenti solvi promisso supra dictam dilationem unius mensis nolumus obtinere, nisi gratia vel amore mutuum concessum fuerit, quia tunc incontinenti vel in crastinum volumus quod solvatur in pecunia numerata; et si ad diem concessum fuerit, transacta tamen die solutionis, sacramento autem debitoris credi volumus, si juraverit mutuum sibi gratis esse concessum.

3. — *Qui precepta judicis seu curie neglexerint.*

Si autem conventus et condempnatus hec observare noluerit, et petitor sive creditor secundo querimoniam de eo judici fecerit, solvat ipse debitor pro qualibet libra communi duos denarios et preterea quinque solidos, quia preceptum judicis seu curie, qui de benignitate sibi dilationem dederat, observare neglexerit, requisito prius debitore per apparitorem curie, si paratus esset solvere ipsa die, cum requisito et invento debitore; si ipsa die non solverit, ab inde puniatur pena predicta.

4. — *De Judicatura.*

Si autem debitor inficiatus fuerit debitum in judicio et a judice vel curia post examinationem et cognitionem condemnatus fuerit, solvat communi, pro una quaque libra quantitatis in qua condempnatus est, sex denarios pro judicaturis. Actor vero solvere teneatur pro judicatura similiter sex denarios pro una quaque libra quantitatis petite, in qua reus fuerit absolutus et restituat expensas reo, scilicet : sex denarios tantum pro quálibet libra pro salario advocati vel advocatorum, et expensas legitime factas pro actis transcribendis, et teneatur reddere judicaturas absoluto, quas judicaturas curia a partibus exigat, prestito juramenso calumpnie. Et idem intelligimus in reo pro ea parte qua fuerit condempnatus, et sub nomine quantitatis in hoc presenti statuto intelligimus mobilia et immobilia, et se moventia, et omnia ea que in judicium deducentur : addentes quod incontinenti post latam sententiam judicaturas restituat parti que obtinuerit in causa.

5. — *De Judicatura ab extraneis exigenda.*

Item, in extraneis vero in curia nostra placitantibus statuimus ut ille qui causam amiserit, sive sit actor sive reus, solvat pro libra quantitatis petite duodecim denarios communi, eo salvo quod si plus vel minus in eorum curiis extorqueretur a nostris, tantumdem in nostra curia extorqueatur ab eis. Taliter enim alios in nostra curia tractari volumus qualiter nostri in eorum curiis tractarentur.

6. — *Qualiter extraneis jus reddatur.*

Item, statuimus quod eadem conditio, que observabitur et fiet civibus arelatis a communi alicujus civitatis, vel alicujus loci, vel ab

aliquo potente, habente jurisdictionem, fiat et observetur in Arelate in omnibus et per omnia, omnibus hominibus qui pertinebunt ad commune civitatis illius, vel loci, vel ad jurisdictionem illius potentis; salvis tamen omnibus statutis nostris.

7. — *Qui sententiam judicis neglexerint.*

Item, si vero condempnatus tempore solutionis a curia statute non solverit, nec appellaverit, pro pena solvet communi duos denarios pro qualibet libra, et preterea quinque solidos, quia sententiam judicis observare neglexerit. Verum si appellaverit a judice vel a judicibus curie ad superiorem; et si forte in causa appellationis appellator obtinuerit id quod ab eo extorserit curia illud eidem restituere teneatur, et ab illo qui in causa appellationis succubuerit, duos denarios pro qualibet libra extorqueat curia.

8. — *De appellationibus summarum.*

Item, ille vero qui appellaverit teneatur prosequi appellationem infra quinquaginta dies continuos a tempore summe late in causa principali continue computandos, quibus transactis lite non completa rata maneat summa, nisi forte per judicem appellationis vel propter infirmitatem appellatoris, aut ejus advocati absentiam, pro communi causa, appellationis cognitio differetur; tunc enim ad tempus totum quo per judicem steterit, vel propter infirmitatem aut absentiam et pro communi causa appellatoris aut ejus advocati restituatur eidem appellatori. Similiter et tempus feriarum, messium et vindemiarum, et aliorum in honorem Dei inductorum, per statutum inferius, deductis quinquaginta diebus subduximus. Addentes quod dominus archiepiscopus per se, vel per officialem suum, vel per delegatum aut delegatos suos possit causas appellationis audire, et examinare, et deffinire, et credatur simplici verbo judicis appellationis, si per ipsum judicem vel per curiam domini archiepiscopi steterit quominus infra dictum tempus causa appellationis sit completa; et idem dicimus de consulibus Arelatis et judicibus, videlicet: quod credatur eis de absentia appellatoris vel ejus advocati facta pro communi.

9. — *Qualiter debitor satisfaciat de bonis suis creditori.*

Item, statuimus quod quilibet debitor de bonis suis satisfaciat suo

creditori secundum extimationem extimatorum, servata tamen electione creditori de quibus bonis sui debitoris sibi voluit satisfieri, excepto de parte staris; nisi enim creditor elegerit satisfieri sibi de stari, sit in electione extimatorum de qua parte staris dare voluerit in solutum. Et examinatores teneantur sacramento quod fecerint examinare brevius quam poterint, vel ad tardius infra mensem ex quo bona debitorum creditoribus in scriptis tradita fuerint seu oblata, et quod duo examinatorum fecerint, si tertius adesse nollet vel non posset, perinde habeatur ac si omnes fecissent, quia si studiose distulerint dicti extimatores quominus extiment infra mensem, eorum quilibet qui studiose convictus fuerit distulisse, solvat communi pro pena viginti solidos. Addentes quod dicti extimatores possint recipere et habere duos denarios pro singulis libris, et quod nihil amplius possint habere occasione equitature vel alia, et teneantur ire estimare per totam Arelatem et per totum districtum Arelatis infra et extra supra dictum tempus; et quod dicti extimatores teneantur per sacramentum videre res quas debent extimare antequam eas estiment. Et creditor qui bona debitoris extimata receperit in solutum solvat extimatoribus dictos duos denarios pro qualibet libra que sibi fuerit estimata, et quod tantum resarciatur creditori de bonis debitoris, vel debitor etiam expensas quas creditor fecerit pro instrumentis factis pro immittendo in possessionem et pro bonis extimatis et etiam illis sex denariis qui dantur executori pro immissione in possessionem.

10. — *De accessoribus et fidejussoribus, et qualiter conveniantur.*

Item, Statuimus quod accessorius conveniri non valeat antequam conventus fuerit debitor principalis. Si vero fuerit alienus debitor principalis, detur tempus unius mensis accessorio ad representandum debitorem principalem; tunc demum accessorius valeat conveniri: principalem enim intelligimus qui principaliter contraxit, vel qui pro alio principaliter contrahente se constituit debitorem, clamato que primo eum pro quo principaliter se obligavit. Addentes quod si accessorius vel debitor principalis pro aliquo solverit debitum in quo tenebatur pro alio, ille pro quo tenebatur ei illud debitum solvere in pecunia numerata teneatur.

11. — *De hiis qui de bonis suis cesserint.*

Item, statuimus quod debitor non teneatur ostagia tenere creditori;

etiam si juraverit, ex quo de bonis suis ad cognitionem extimatorum satisfecerit vel creditori ex quo de bonis cesserit suis. Si tamen aliquid post cessionem bonorum acquisiverit quod ei superfuerit, deducto victu sui et familie sue, illud teneatur solvere creditori; et hoc juret dum fecerit cessionem, quia quilibet creditor teneatur recipere satisfactionem ad cognitionem extimatorum de bonis debitoris. Et si debitor juraverit hostagia, ita tamen servata electione creditori de quibus bonis sui debitoris sibi satisfieri voluerit, secundum quod in superiori statuto de extimatione bonorum continetur, quod debitor qui juraverit teneat hostagia secundum quod convenerit usque bona ejus fuerint ab extimatoribus extimata.

12. — *De illis qui emerint possessiones.*

Item, statuimus quod quicumque emerit possessiones vel possessionem vel mercedes aliquas seu alias res, vel se paccatorem constituerit pro emptore, satisfacere teneatur creditori in pecunia numerata.

13. — *De hiis qui se denegaverint.*

Item, statuimus quod si quis denegaverit de aliquo sacramento facto in presentia consulum Arelatis vel judicis, et notum fuerit consuli, vel consulibus, vel judicibus Arel., vel judici, solvat pro una quaque vice viginti solidos communi, et si eos solvere non poterit, fustigetur, et ex hoc excipimus sacramenta calumpnie.

14. — *De armis non portandis per Arelatem.*

Item statuimus quod aliquis de civitate vel burgo de cetero non defferat sine licencia consulum vel judicis vel judicum per Arelatem peyreriam acutam, vel gazarniam, vel falsonum longum, vel alia arma, nisi cultellum, nisi portaret ea causa exeundi civitate, vel veniret in civitatem sine fraude, ita quod, cum reversus fuerit domui armaturam illam deponat. Et quicumque contra hoc fecerit, solvat pro unaquaque vice viginti solidos qui ex equo dividentur inter accusatorem et commune, accusatore nullo modo vel tempore celato.

15. — *Qui maleficium commiserit in Arelate et ejus tenementis.*

Ut unius pena metus posset esse multorum, statuimus quod si aliquis qui maleficium vel injuriam commiserit et a nuntio curie

vocatus, ad primum nuntium non veniret, sive inventus sive non, ex quo domui fuerit denunciatum et preconisatum per Arelatem, si maleficium vel injuria in Arelate vel ejus tenemento commissum fuerint, per tres dies ex quo injuria vel dampnum vel maleficium notum fuerit curie et domui denunciatum, et per Arelatem preconisatum, puniatur viginti quinque librarum. Si vero minus habuerit ponatur in banno, arbitrio judicantis, de quo banno non exeat, nisi prius banno imposito ex soluto. Nihilominus tamen si expedire noluerit communi ille qui consulatum Arelatis habuerit, major pena infligatur, scilicet, in bonis suis destruhendis vel aliter, excepto quod in Arelate domus seu aliquid de pertinentibus domus nulla ratione vel occasione diruatur, nisi propter homicidium, ne urbs deformetur ruinis, et nisi aliquis civis Arelatis domum suam vel domos suas muniret vel muniri faciet contra dominum archiepiscopum vel consules Arelatis; et si aliquo casu consules Arelatis contra hoc statutum venerint vel fecerint infra octo dies post exitum sui regiminis, teneantur ressarsire dampnum passo.

Item, verum si injuriosus vel maleficus illam injuriam vel maleficium tale aliquid, preter homicidium, commiserit, propter quod domus ejus dirui debeat vel debet, applicetur potius communi domus illa, vel etiam distrahatur, et pretium sine spe restitutionis sit communis, hoc salvo quod si maleficus vel injuriosus non habuerit alia bona preter domum vel domos, et injuriam vel maleficium passus petierit sibi de injuria vel maleficio satisfaciat ei primo ad cognitionem curie de pretio domus vel domorum illius, et residuum sit communis. Si vero extimatio injurie vel maleficii excederet pretium domus vel domorum injuriosi vel malefici alia bona non habentis in Arelate vel ejus tenemento, sit in optione injuriam vel maleficium passi domum vel domos habeat, vel pretium earumdem, salvo tamen in omnibus et per omnia jure suo et senhoria dominis a quibus ipse domus tenerentur, tam in omnibus supra dictis quam in aliis. Et si dominus cujus nomine domus teneretur vellet refundere pretium quod tam communi quam alii in omni casu preferatur.

Item, si vero extra Arelatem et ejus tenementum injuria vel maleficium sit commissum, bannitio defferatur arbitrio curie, secundum distantiam locorum in quibus injuriosus ille vel maleficus esse dicetur.

Item, si autem bannitus in Camargiis vel in alio Arelatis tenemento seu in toto districtu a quocumque Arelatis inventus fuerit et per hunc curie notificatum in quo loco Arelatis ille bannitus sit vel inventus

fuerit, armata manu consules insequi et etiam capere si potuerint teneantur et captum punire pro qualitate delicti, et de tali banno judicando teneatur quilibet Arelatis qui eum sciverit, sacramento quod fecerit consulibus Arelatis.

Item, nomine autem districtus hic accipimus omnia castra et villas ubicumque sunt que a communi vel pro communi quocumque modo tenentur.

Item, addentes quod si bannitus in castro vel in villa communis inventus fuerit, castellanus loci illius teneatur illum insequi et capere, et captum reddere consulibus Arelatis.

16. — *De dampno vel injuria illata civibus Arelatis.*

Item, statuimus quod si quis extraneus dampnum vel injuriam rebus alicujus civis Arelatis dederit qui predictis rebus solitus fuerit munus sive collectam prestare communi Arelatis, et eas res sub nullo dominio tenet, preterquam sub dominio dicti communis pro quo dampnum vel injuria vindicanda opus sit pecuniam expendi, dictum commune dictam pecuniam expendat, et dictam injuriam et dampnum vindicet quibus modis potuerit. Et si injuriatus vel ejus amici pecuniam expenderint pro dampno repetendo vel injuria vindicanda, dictum commune teneatur ei vel eis illam infra duos menses restituere, id est cognitione prius habita per consules Arelatis. Et eos cives intelligimus qui in Arelate domicilium et larem et maximam partem rerum suarum habent.

17. — *De injuria ab extraneis illata civibus Arelatis.*

Item, statuimus quod si quis extraneus injuriam intulerit vel fecerit alicui civi vel civibus Arelatis, injuriatus sive injuriati eadem specie et eadem qualitate cum moderatione inculpate tutele vindictam possit vel possint de injuriante sibi assumere, denunciatione et probatione prius facta curie Arelatis de injuria qua dictus civis vel cives sustinuisset vel sustinuissent. Si vero dictus injuriatus vel injuriati, sacramento sibi illato a consulibus, probatione se deficere assererent, tunc de predicta injuria volumus jurijurando ejus vel eorum credi per consules, et quod propter assumptionem dicte vindicte dictus civis vel cives a curia non molestentur.

Item, volumus et etiam statuimus quod omnes denunciationes que fient super injuriis ab extraneis hominibus civibus Arelatis illatis, redigantur

in quodam novo cartulario quod dicatur *Registrum*, in quo nulle alie denunciationes sive acta scribantur preterquam injurie ab extraneis facte civibus Arelatis. Precipimus etiam quod quisquis civis qui ibi presto esset cum injuria fieret dicto civi vel civibus teneatur ipsum vel cives juvare, et si assumptione vindicte faciende de predict's extraneis occurrerent cives nostri extraneis auxilium inferentes, in decem libris coronatis condempnentur. Et si inopes vel non solvendo invenirentur per civitatem Arelatis fustibus castigentur; et hoc de hiis civibus intelligimus injuriam pacientibus qui domicilium et larem et maximam partem rerum suarum in Arelate possident.

18. — *Qualiter commune prestet facultatem suo civi pignorandi extraneum.*

Item, statuimus quod si quis extraneus obligatus sit alicui civi Arelatis ex contractu vel quasi facto in Arelate vel ex rapina, et ad instanciam dicti civis curia Arelatis citaverit dictum extraneum per suas litteras ter missas per intervalla decem dierum ad dominum vel ad locum sub cujus jurisdictione esset dictus extraneus, vel majoris intervalli vel distanciam loci, et hoc acto nondum satisfaceret dictus extraneus vel dominus sive locus sub cujus jurisdictione esset extraneus satisfieri curaret, tunc facta fide plenissima de predicta obligatione vel rapina, dicte curie consules Arelatis teneantur prestare facultatem et autoritatem dicto civi nostro posse pignorandi extraneum dictum et bona sua vel etiam bona loci illius cujus dictus extraneus esset civis vel incola usque ad quantitatem dicte obligationis vel rapine

19. — *Quod nullus audeat insultum facere in aliquem in curia domini archiepiscopi.*

Ne judiciorum vigor juris que publici tutela frustra videatur in medio introducta hoc edicto generaliter prohibemus ne quis in aliquem audeat insultum facere in curia domini archiepiscopi seu comitis; quod si fecerit cum armis et sanguis inde exierit in viginti quinque libris prestandis curie Arelatis ipsum volumus condempnari.

Item, si vero sine armis in locis predictis quis in aliquem fecerit aggressum sive insultum, sive sanguis inde exierit sive non, in decem libris puniatur. Et si in aliis locis Arelatis insultum aliquem faciendo aliquis damnum alicui dederit et inde sanguis exierit per ictum apparentem, in centum solidis condempnetur applicandis curie Arelatis; et

si extra Arelatem tale quid commissum fuerit, in quinquaginta solidis eum precipimus condempnari inferendis curie Arelatis. Exactis tamen penis predictis, jus suum salvum remaneat injuriato vel percusso, si conqueri voluerit; adjicientes si cum armis fiat insultus et non ledat in decem libris fiat condempnatio arbitrio curie. Si vero sine armis et non ledat, in centum solidis condempnetur; pecuniam non habens arbitrio curie corporaliter puniatur. Addentes in hoc statuto et in proximo sequenti quod consules et judices Arelatis possint majorem penam imponere et exigere ab injuriantibus qui continentur in ipsis duobus statutis secundum arbitrium consulum Arelatis et secundum qualitatem personarum et quantitatem delictorum.

20. — *Qui cutello vel palma seu pugno percusserit.*

Item, statuimus et ordinamus quod si aliquis in aliquem insultum fecerit et cultellum traxerit, solvat pro banno sexaginta solidos, et, si percusserit, puniatur in viginti quinque libris quocumque loco seu districtu Arelatis hoc fecerit. Et nomine districtus hic accipimus omnia castra et villas a communi vel pro communi detentatas, quia si percussor non habeat unde solvat, pugnum cum quo percusserit amittat.

Item, ille vero qui cum pugno vel palma percusserit, vel aliquem injuriose per capillos acceperit, secundum qualitatem persone injuriate in centum solidis vel infra ad arbitrium curie puniatur. Si vero homicidium fecerit et captus fuerit, vitam amittat. Si vero capi non poterit in perpetuali banno Arelatis ponatur, de quo non possit exire, et heres defuncti habeat bona homicide. Et si heres defuncti illa bona habere noluerit, statuimus quod illa bona destruhantur et singulis annis dissipentur.

21. — *De Campana quolibet sero pulsandâ.*

Item, ad terrorem infamium et pravorum statuimus ut quolibet sero signum quod pro villa expressatum est pulsetur; post cujus pulsationem si qua infamata persona vel de qua prava haberi debeat suspicio ire vel stare alicubi per Arelatem inveniatur cum lumine vel sine lumine, arbitrio curie puniatur; et subclavarius et executores et nuncii curie vigilent et custodiant civitatem et jurati sacramento teneantur dicere in crastinum nominatim omnes quos invenerint euntes post pulsationem campane qui videantur esse infames vel male casse subclavario vel notario curie, et ipse subclavarius vel notarius

eos scribere teneantur. Quod si aliquis de dictis custodibus aliquem celaverit, illum custodem vel custodes per totam Arelatem, ut solitum est, precipimus fustigari vel dare quemlibet centum solidos pro pena communi. Addentes quod neque consules Arelatis, neque curia, neque totum consilium possit in hoc presenti statuto aliquid innovare.

22. — *De Rapina et Furto.*

Item, insuper statuimus quod si aliquis rapinam vel furtum fecerit, quod furtum non habeat originem a contractu a viginti solidis superius, solvet pro primo furto seu rapina decem libras communi; si vero decem dictas libras solvere non poterit, amittat membrorum unum quod arbitrabunt consules Arelatis. Si vero pro secundo furto vel rapina quis deprehensus fuerit et convictus, solvat communi viginti quinque libras, aut corporaliter puniatur, secundum arbitrium consulum Arelatis, excepto si non foret latro publicus et infamis qui debeat puniri corporaliter ad furcas pendendo, vel alio modo arbitrio consulum Arelatis, salvo jure ejus cui furtum fecerit vel rapinam; et item intelligimus in auxiliante et consilium prebente et ob hoc non credat aliquis arctasse quin alias penas possint consules Arelatis infligere, si quas alias cognoverint infligendas secundum qualitatem personarum et furti quantitatem.

23. — *De Bannitis infamibus, Latronibus, Malefactoribus.*

Ad hoc ordinamus et volumus ut omnes banniti infames, et latrones et malefactores et homines male casse hinc ad diem dominicam exeant de Arelate et districtu totius Arelatis, ita quod toto tempore regiminis supra dicti in predicta non appareant civitate vel districtu, nisi medio tempore voluerint exire de banno et facere rationem eis pro quibus sunt in banno, et nisi idoneam prestiterint cautionem et securitatem consulibus Arelatis. Hic etiam nomine districtus accipimus omnia castra et villas communis Arelatis.

24. — *Ne quis hospitetur in domo sua furem vel latronem; etc.*

Item, statuimus ne quis scienter hospitetur in sua domo furem vel latronem nec hominem male casse, nec hereticum, nec valdensem; et si aliquis hoc fecerit, solvat pro pena communi qualibet vice centum solidos qui ex equo dividentur inter accusatorem et commune, accu-

satore nullo modo vel tempore celato. Verum si centum solidos solvere non poterit, arbitrio curie corporaliter puniatur.

25. — *De Pena blasphemantis Deum et Beatam Mariam.*

Cum contra homines factas blasphemias impunitas relinquere nolumus, nec debemus multo magis eos qui Deum vel ejus genitricem Mariam blasphemaverint, pene pecuniarie vel verberibus religiosissime subjungamus ; statuimus ergo quod si aliquis ludens ad aliquem ludum Deum vel ejus gloriosam genitricem Mariam vel etiam sanctum blasphemaverit vel verbis aliquam contumeliam intulerit, solvat communi pro pena viginti solidos pro qualibet vice qui ex equo dividentur inter accusatorem et commune, accusatore nullo modo vel tempore celato. Soli tamen accusatori quantum ad hoc credi volumus, adhibito tamen testimonio illius qui cum blasphematore lusisse dicetur vel alicujus ludo assistentis, et si dicto conlusoris vel ludo assistentis constiterit accusatum dixisse blasphemiam, puniatur, ut dictum est, in viginti solidos blasphemator, et si etiam videtur ejus odium unicus testis tantum et accusatoris dicto fides adhibeatur. Si vero blasphemus ille unde solvat non habuerit, ipsum tanquam latronem et infamem por totam Arelatem precipimus fustigari.

26. — *De Soquis et aliis lignis.*

Item, statuimus quod nullus qui locet operas suas defferre audeat de nemoribus vel vineis vel cepibus socam vel lignum aliquod ; et qui contra fecerit mercedem suam vel loquerium amittat, et sic illius qui locaverit operas suas.

Item statuimus quod nullus buscalator vel alius transiens per aquam vel per terram audeat de nemoribus vel vineis vel cepibus evellere seu etiam scindere socam vel radicem vivam vel mortuam, nisi de licencia Domini ; et si hoc fecerit in decem solidis puniatur, quorum medietas sit communis et alia accusantis ; et si pecuniam solvere non poterit, fustigetur.

27. — *De Cuniculis.*

Statuimus et ordinamus ne quis presumat capere vel venari cuniculum alienum sive suum sine licencia curie, a carniprivio usque ad festum Omnium-Sanctorum, nec ab illo festo in antea aliquis furetur vel venetur alienum cuniculum in deffensione aliena ; et si inventus

fuerit cuniculum cepisse vel rete extendisse in aliena deffensione, solvat pro pena communi centum solidos, ita scilicet : quod pro quolibet cuniculo capto vel rete vel panello extenso, vel cuniculo nondum capto, dicti centum solidi committantur, et si plures essent socii in dicta venatione vel captione non teneantur pro quolibet cuniculo, nisi in dictis centum solidis qui ex equo dividantur inter dictum accusatorem et commune, accusatore nullo modo vel tempore celato. Addente quod si quis dictam venationen vel captionem celaverit, in centum solidis puniatur, ex equo inter accusatorem et commune dividendis ; et si non habuerit unde solvat per consules Arelatis personaliter puniatur.

28. — *Quod nullus teneat vel deferat retia vel panellos.*

Item, statuimus quod nullus teneat vel deferat retia, vel panellos, vel furorem in Camargiis vel in aliis territoriis Arelatis, nisi habuerit propriam venationem vel quocumque teneatur venari, et hoc tantum modo quando venabuntur venationes ille, vel ibunt ad illas venandas vel redibunt ab illis venationibus, et non alio tempore ; et qui contra hoc fecerit vel fraudem huic statuto fecerit, in centum solidis puniatur.

29. — *De pellipariis.*

Item, statuimus quod omnes pelliparii totius Arelatis et ejus districtus, et eorum scolares, jurent singulis annis consulibus Arelatis vel ejus curie quod si aliquis vel aliqui vel alicui eorum attulerint cuniculos vel eorum pelles venales, vel causa aptandi pellem vel pelles cyrogryllorum captorum a carniprivio usque ad festum Omnium Sanctorum denuntient consulibus Arelatis vel judicibus curie personam vel personas que cuniculos vel vendere pelles voluerint, vel aptari ; et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur pro pelle vel cyrogryllo quolibet quorum medietas sit communis et alia accusantis ; accusatore nullo modo vel tempore celato, quia quantum ad presens statutum accipimus pro districtu totum tenementum Arelatis, et castra et villas quas commune tenet in Camargiis tantum.

30. — *De falsatoribus cartularum.*

Super falsatoribus cartularum taliter statuimus quod si quis fecerit cartam falsam vel fieri fecerit vel scienter usus fuerit, amittat pugnum pro prima vice, vel det communi centum libras Raymundenses; et nunquam postea possit exercere officium notarie in Arelate, vel aliquod aliud publicum officium. Si vero aliquis produxerit falsum testem scienter, arbitrio curie puniatur, et eodem modo puniatur ille testis. Addimus etiam quod Millarensis vel alia moneta in Arelate vel ejus tenemento ab aliquo Arelatis nec ab extraneo, nisi de voluntate et consensu domini archiepiscopi et consulum Arelatis (*recipiatur*); et qui contra fecerit vel facientem celaverit in centum libris Raymundensibus puniatur; et quod statim infra duos menses pena pecuniaria persolvatur a delinquente, vel corporaliter puniatur.

31. — *De Testibus.*

Item, statuimus quod testes non audiantur a parte que eos produxerit vel contra quam producentur, nec ab advocatis eorum; sed sigillatim et secreto audiantur, et inquirantur diligenter a judice, presente tabellione qui eorum dicta scribat et quibus partium que requiri voluerint a testibus scriptis reddat judici qui audiet ipsos testes vel notario qui scribet dicta eorum. Et hoc volumus obtinere in omnibus curiis Arelatis, et etiam in arbitriis et omnibus accusationibus injuriarum. Et si forte testes presentes non fuerint et absentes in locis aliis curie, curia dirigat litteras domino seu rectori loci illius in quo testes erunt; rogans quod diligenter et fideliter recipiat et inquirat depositiones testium et in scriptis dirigat et clausas et certo sigillo sigillatos judici curie tantum transmittat; et hec locum habuerint cum nulla partium petierit ipsam ire ad testes audiendos. Si vero aliqua partium petierit quod judex eat ad aliquem locum extra civitatem Arelatis et ejus districtum, pars petens expensas faciat judici et sociis suis necessarias.

32. — *De Pastoribus qui ignem miserint in cravo.*

Item, statuimus quod quicumque qui pastorem conductitium vel alterius modi habebit, faciat ipsum jurare in curia quod non mittat ignem in cravo ad garrigas et pasturas comburendas. Et quicumque pastor vel dominus convictus fuerit ignem misisse vel fecisse mitti in cravo unde garriga combusta fuerit aliqua vel alia pastura, sive ignem

in garriga miserit vel alibi in cravo, solvat communi pro pena viginti quinque libras que ex equo dividantur inter accusatorem et commune, accusatore nullo modo vel tempore celato. Si unde solvat non habuerit, amittat pugnum, salvo jure suo nihilominus querelanti: addentes quod curia Arelatis ter in anno faciat preconisari per Arelatem quod nullus mittat ignem in locis prohibitis sub pena predicta; addentes etiam quod nemo mittat ignem in stipulis cujuscumque loci districtus Arelatis a festo Pentecostes usque ad medium Augustum; et qui contra fecerit in dictis viginti quinque libris puniatur.

33. — *De Banno hominum et bestiarum.*

De dampnis datis vineis seu ortis vel clausuris vel pratis seu boscis; taliter statuimus et ordinamus; videlicet quod si quis intraverit alterius vineam, solvat communi cujuscumque uve quam apportaverit vel de vite removerit duodecim denarios de die, vel duos solidos de nocte, et insuper dampnum datum in duplum emendare illi cui fecerit, teneatur. Eam autem vineam non intelligimus alienam in quo quis habeat partem fructuum vinee nomine senhorie, vel de qua sit facherius. Si vero dampnum fecerit aliquis, sive dederit in bladis dum sunt in herba et sine spica, solvat pro qualibet vice qua inventus fuerit dampnum dare, duodecim denarios, et pro qualibet fasce duos solidos; et pro qualibet bestia inventa in pratis seu bladis custoditis, scilicet pro quolibet bove vel vaca ubi fuerint dampno duodecim denarios, et pro qualibet fasce bladi quam inde abstulerint quinque solidos. Si vero fuerint in spica; viginti solidos; et si quis dampnum dederit in pratis, solvat communi pro qualibet fasce duos solidos, et pro qualibet bestia inventa in pratis seu bladis custoditis, scilicet pro quolibet bove vel vaca, nisi fuerint transitoria vel alienata, equo vel equa, mulo vel mula, asino vel asina, sex denarios de die, et de nocte duodecim denarios, et pro quolibet porco duos denarios; et pro capra seu irco, vel ove, vel mutone unum denarium, et insuper dampnum emendare ei cui factum fuerit in duplum teneatur.

Et hoc idem ordinamus de dampno dato in ortis et clausuris; addentes quod mercenarii qui bestias custodiunt vel custodire tenentur, solvant bannum, et dampnum emendent, ut dictum est. Domini vero bestiarum quibus ignorantibus dampnum datum est in nullo teneantur, nisi quod dampnum restituatur in simplum tantum cum dampno passo, si mercenarii non sunt solidarii.

Si vero dampnum fuerit in boscis, statuimus et ordinamus ut ille qui dampnum dederit, seu erradicaverit plansones vel arbores fructiferas, seu etiam latam de cepibus evulserit, solvat pro unaquaque planta custodita de arbore decem solidos, et illi cui dampnum datum fuerit quinque solidos, aut fustigetur per civitatem; et pro qualibet fasce lignorum tres solidos; et pro qualibet bestia onerata quinque solidos, et pro qualibet lata de cepibus avulsa duodecim denarios; et insuper dampnum emendare teneatur illi cui factum fuerit; volentes et statuentes ut predicte pene ex equo dividantur inter accusatorem et commune; accusatore nullo modo vel tempore celato; et quod curia teneatur revelare accusatorem ei qui fuerit accusatus. Addentes quod bajulo bannerio, vel dampnum passo, vel alii cuicumque, si tamen venerit cum dampnum passo vel voluntate illius ad conquirendum vel ad denuntiandum credatur usque ad summam viginti solidorum, et a viginti solidis superius nullo modo credatur.

34. — *De Banno ortorum et vinearum.*

Item, statuimus quod quicumque inventus fuerit in ortis vel vineis alienis colligere ficus vel comedere sine licentia domini vel ortolani, vel bannerii, solvat communi duodecim denarios de die, et de nocte duos solidos, et pro quolibet panerio vel canastello quinque solidos; et hoc volumus observari a principio mensis Augusti usque ad festum Omnium Sanctorum; et custodes ortorum vel vinearum teneantur revelare curie, juramento quod fecerint curie Arelatis, quoscumque invenerint in ortis vel vineis, ut dictum est; nihilominus remanente in suo vigore superiore statuto de racemis.

35. — *De deffensionibus pasturarum, nemorum*, etc.

Item, statuimus quod quilibet qui fuerit inventus in deffensionibus suis bladi vel vinearum vel pasturarum vel nemorum vel pratorum que consueverunt deffendi, quilibet Arelatis dominus deffensionis vel familia illius possit pignorare, et ad curiam pignora mittere teneatur infra octo dies; et si ille qui inventus erit dampnum dare deffendet pignora, duplet penam, scilicet dampni dati; et quod pignoratori credatur suo juramento si dampnum non excedat summam viginti solidorum; et si ille qui pignoraverit vim injuriosam fecerit pignorato, amittat pignorator jus quod ex illo dampno consequi posset, et arbitrio

curie puniatur, et pro injuria vel violentia salvum sit jus injuriam passo si voluerit querelari.

36. — *De Malleolis.*

Item, statuimus quod nullus audeat colligere malleolos in aliqua vinea, nisi de voluntate et expresso mandato illius cujus erit vinea; et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur pro qualibet vice, quorum medietas sit communis et alia accusantis; accusatore nullo modo et tempore celato: curia tamen teneatur revelare accusantem illi qui fuerit dampnum passus.

37. — *De Banno bestiarum.*

Item, statuimus quod pro quolibet bove, vaca, equa et roncino, asino et asina, mulo et mula qui intraverint in vineam alienam, collecta vindemia vel non collecta, vel boscum alienum, dent pro banno communi sex denarios de die, et de nocte duodecim denarios; et pro quolibet porco et porca, ove seu mutone, hirco et capra dentur duo denarii de die, et de nocte quatuor denarii quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo et tempore celato. Addentes quod nullus accusator possit aliquem accusare de talibus deffensionibus nisi de voluntate expressa domini cui fuerit tala facta.

38. — *De Advocatis.*

Item, statuimus quod advocati habeant tantum quantum convenerit cum clientulis suis; et aliquis civis vel habitans in Arelate pro extraneo non sit contra civem in guerra infra Arelatem vel districtum Arelatis.

Addentes quod nulla domus religiosa possit habere nisi unum advocatum in tota una eadem causa contra civem Arelatis, preter domum domini archiepiscopi et canonicorum Arelatis. Addentes in hoc statuto quod nullus advocatus in causa appellationis advocet contra illum pro quo appellaverit in causa principali, si de uno per eumdem eadem suscitaretur.

39. — *De Instrumentis et libellis mutui vel debiti.*

Item, statuimus quod instrumento mutui vel debiti cujuscumque pro quo creditor pignus non tenet, fides non habeatur post tres annos

a die solutionis faciende numerandos, nisi nova recognitio in scriptis vel coram testibus post diem solutionis faciende facta esse probaretur vel querimoniam coram judicibus, vel nisi debitor toto triennio continuo et completo abfuisset. Et idem intelligimus de libellis; addentes huic statuto quod quilibet creditor, facta sibi solutione debiti, teneatur restituere instrumentum seu libellum illius debiti incontinenti postquam fuerit solutio sibi facta, et debitor petierit sibi restitui instrumentum vel libellum coram testibus. Si vero dictus creditor juraverit se non posse habere illud instrumentum vel libellum, quod ipse teneatur facere instrumentum expensis propriis suis de solutione sibi facta, et qui contra fecerit puniatur in duobus solidis pro qualibet libra quantitatis debiti illius. Addentes quod si debitor vel creditor predicto toto tempore triennii abesse contingerit, non obsit eis circulum seu fluxum dicti triennii.

40. — *De appensis et impedimentis viarum.*

Item, statuimus quod tres boni viri constituantur a curia, arbitrio quorum removeantur appensa sive pendentia super viis publicis que obesse possint transeuntibus arma portantibus vel non, et illi qui appensum habebunt super viis publicis, ut dictum est, ad mandatum trium virorum predictorum a curia constitutorum factum, in presentia judicis, presente illo qui appensum habebit, si infra octo dies non removerint, solvant pro pena communi decem solidos, et nihilominus removere cogantur. Statuentes etiam quod arbitrio et cognitioni eorumdem vie in Arelate reficiantur; ita quod predicti tres vias novas non possint dare vel assignare, impedimenta viarum removeantur infra civitatem Arelatis et extra, ita ut commode et sine impedimento homines et jumenta per eas ire possint.

Et arbores et alia impedimenta teneantur dicti tres arbitri Arelatis cognoscere, et mandare in curia, presente judice, et quibus mandabuntur impedimenta removeri infra mensem computandum a die qua fuerint constituti. Quod si non fecerint, puniatur quilibet in decem solidis, et similiter qui ad mandatum vel cognitionem eorum, ut supra dictum est, non removerint impedimenta, infra octo dies a die mandati computandas, in decem solidis puniantur, quorum medietas omnium sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato. Addentes quod cuilibet dictorum trium virorum dentur a communi duo solidi pro salario, qualibet die occasione dicti officii

extra civitatem fuerint; et aquarii non fiant super terram in via publica, et si facti fuerint removeantur, et sub terra fluant; et hoc sub pena predicta volumus observari.

Addentes quod vallati qui in directum vadunt seu protendunt in Rodanum, claudantur infra mensem, a parte Rodani, tali modo quod clausura sit unius cane ad minus in altum, ne, Rodano excressente, detur dampnum vicinis vel viis publicis et caminis; et hoc sub pena viginti solidorum ex quo denunciatum fuerit curie; et idem dicimus de omnibus vallatis paludum que protenduntur usque ad viam publicam preter robinas.

41. — *De Scobillis.*

Item, statuimus quod nec scobille nec aliqua turpia vel immunda, nec etiam cacaferrum, nec cineres fabrorum nec alterius projiciantur in carreriis de die vel de nocte, punientes in quinque solidis pro qualibet vice habitatorem domus illius qua projecta fuerint supra dicta. Addentes quod si aliquis vel aliqua cacaverit in carreria, pro qualibet vice in quinque solidis puniatur, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato. Accusatoris vero super premissis accusationibus credi volumus juramento. A pena autem supradicta excipimus infantes minores septem annis; et quod consules Arelatis faciant preconisari in initio sui regliminis per totam civitatem ea que continentur in statuto presenti.

42. — *De Macellis.*

Item, statuimus quod carnes butate vel mortue vel vulnerate aptate in Arelatem non vendantur in macello; et idem dicimus de porco leproso et aliis animalibus infirmis. Volumus tamen quod vendi possint in locis remotis a macello secundum arbitrium clavariorum; et qui contra fecerint in viginti solidis puniantur; et idem statuimus in eo qui vendiderit christianis carnes interfectas vel macellatas a judeis; et quod nullus judeus ausus sit occidere aliquod animal in domo christianorum; et hoc sub eadem pena viginti solidorum precipimus observari.

43. — *De Macellariis.*

Item, statuimus quod si quesitum fuerit ab aliquo macellario cujus modi carnes sint quas tenet venales, super hoc teneatur dicere veri-

tatem; quod si non fecerit vel dixerit, et carnes alteras pro aliis vendiderit, amittat carnes venditas et sint emptoris, et emptori pretio restituto, nihilominus solvat pro pena communi decem solidos pro qualibet vice. Addentes quod macellarii omnes jurent semel in anno super premissis dicere veritatem, et quod tres macellarii statuantur qui teneantur sacramento clavariis communis nuntiare quem super premissis invenerint seu perceperint delinquentem.

44. — *De Carnibus salsatis.*

Item, statuimus quod carnes salsate porcorum vendantur ad libram et ad pondus quintalli. Et qui contra fecerit in decem solidis puniatur, et preterea carnes venditas amittat.

45. — *De Fumo herbarum.*

Item, statuimus quod trossi vel alie ortorum herbe infra Arelatem nullo modo crementur nec extra, nisi tali loco et tempore quod fumus non possit intrare civitatem, et qui contra fecerit viginti solidos det communi.

46. — *De Fimo et Sterquilinio.*

Item, statuimus quod fimus vel sterquilinium coactum non apponatur nec appositum immittatur in aliqua via publica seu privata vel vicinali, nec in fossato communis, nec in Crotia, nec in eadem Crotia fiant; et quicumque invenerit in Crotia aliquem fodientem, possit ipsum sua auctoritate pignorare, et teneatur pignora apportare curie ipsa die, vel curie nunciare. Et idem intelligimus de omnibus viis publicis que sunt infra Arelatem vel extra. Et qui contra fecerit solvat viginti solidos communi, et cuilibet volenti fimum accipere, fimum concedimus, et supra dicte pene medietas sit accusantis seu pignorantis et alia medietas sit communis. Addentes quod porci non pascant in Crotia, et pro quibuscumque porcis qui custodem habebunt pascentibus in Crotia, dentur communi sex denarii pro pena, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato. Statuentes etiam quod nullus audeat rumpere rupem Crotie, et qui contra fecerit pro qualibet vice in centum solidis puniatur.

47. — *De Portali de Aura.*

Item, statuimus quod nullus audeat projicere fimum vel scobillas vel aliquas sordes juxta portale de Aura, nec a portali usque ad traversiam Sancte Eulalie nec etiam in fossato; et idem dicimus de aliis portalibus et fossatis Arelatis, preter portalia que sunt in riparia Rodani. Et qui contra fecerit in quinque solidis puniatur qui dividantur inter accusatorem et commune, accusatore nullo modo vel tempore celato, et fimum qui modo est in loco vel locis predictis possit quilibet auctoritate sua apportare sine contradictione alicujus.

48. — *De Cloacis.*

Item, statuimus quod cloacas nullus habeat super Rodanum nec in fronteria, et si que ibi sunt removeantur et foramina illarum cloacarum que sunt parietibus claudantur cum calce et arena et lapidibus; et hec fiant infra octo dies post preconisationem. Et qui contra hoc statutum fecerit vel statuto non obedierit penam viginti solidorum sustineat.

49. — *De Meretricibus.*

Item, statuimus quod nulla meretrix publica vel leno audeat morari in Arelate in carreria proborum hominum, et si forte invenirentur in dictis locis, quod quilibet illius contrate vel vicinie habeat potestatem expellendi de vicinia, sua auctoritate, et sine pena et contradictione curie.

50. — *De Velo et Plechio.*

Item, statuimus quod si quis dimiserit uxorem suam et tenebit publice meretricem, expellatur de Arelate; et si que mulier dimiserit virum suum et adherebit publice alicui alii viro, similiter expellatur de Arelate. Addimus etiam quod nulla meretrix tanquam vidua sit ausa portare plechium vel velum in capite; quod si fecerit quelibet proba mulier habeat potestatem aufferendi sine pena.

51. — *De Tricharia.*

Item, statuimus quod tricharia non fiat seu teneatur in Arelate de nocte; et qui contrarium fecerit pro qualibet vice in viginti solidis puniatur.

52. — *De Tabernis et ludentibus in ipsis.*

Item, statuimus quod nullus audeat ludere in tabernis post pulsationem campane communis, et si contra predicta aliquis fecerit in decem solidis puniatur pro qualibet vice, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo et tempore celato. Similiter et tabernarii qui eos receperint post pulsationem campane in tabernis, in viginti solidis puniantur, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato. Quod si non haberent unde solverent, fustigentur.

53. — *De Sartoribus.*

Item, statuimus quod sartores accipiant pro corduris vestium sine fresso et neca factorum infra scripta, scilicet: pro capa cum pellibus tres solidos. Si autem dominus voluerit facere bastari capam, habeat sartor duos solidos tantum pro capa, et pro mantello hominis cum pellibus octodecim denarios; et si dominus voluerit facere bastari mantellam, habeat sartor pro mantello novem denarios, et de samartha cum chioto vel sine chioto duos solidos; et si dominus voluerit bastari facere samartham, habeat sartor duodecim denarios, et super cotis cum chioto octodecim denarios; et si dominus voluerit facere bastari super cotam, habeat sartor novem denarios, et pro pellicia hominis cooperta duos solidos; et si dominus fecerit eam bastare habeat sartor duodecim denarios; et pro pallio cum cendato et tunica mulieris tres solidos, scilicet duodecim denarios pro tunica et pro pallio duos solidos; et pro caligis coloris quinque denarios, et pro aliis caligis quatuor denarios; et pro fustannitis hominum octo denarios; et pro carnagligiis duos solidos; et si dominus vel domina voluerit eam facere bastari habeat sartor duodecim denarios; et pro pallio et tunica domine cum pellibus cyrogryllorum tres solidos; et si dominus vel domina voluerit facere bastari illud habeat sartor duodecim denarios pro mantello, et duodecim denarios pro tunica; et pro capa blava cum manicis duos solidos, et pro capa sine manicis duodecim denorios; et de omnibus capis aliis cum manicis sexdecim denarios; et pro capis traversariis nuntiorum et sine manicis octo denarios.

Et qui contra hoc fecerit in quinquaginta solidis puniatur, quorum

medietas sit communis et alia accusantis, et id quod acceperit ultra formam debitam illi a quo extorserit restituere teneatur in duplum, et quilibet sartor teneatur singulis annis jurare quod consulet ementes pannos ad se venientes fideliter, et pro eis accipiat fideliter, nec patiatur emptorem decipi quantum sibi possibile erit in quantitate vel qualitate panni, vel draperii decipiant emptores pannorum in qualitate panni, vendentes pannos unius terre pro altera; et qui contrarium fecerit in centum solidis puniatur.

Addentes quod omnes draperii jurenti quolibet anno semel curie dicere veritatem de qua draperia vel ejus modi fuerint panne ille que ipsi vendiderint, si fuerint inquisiti. Et sartores jurent quod curie nunciabunt si perceperint sartores aliquid furari de vestibus; et qui furatus fuerit in centum solidis puniatur pro quolibet furto, restituto dampno in quadruplum furtum passo, quorum medietas s't communis et alia medietas accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato.

54. — *De draperiis.*

Item, statuimus quod draperii non sint ausi prohibere aliquem sartorem recipere pannos in operatoriis suis causa emendi pro aliquo; et qui contra fecerit in centum solidis puniatur.

55. — *De calcatura equarum.*

Item, statuimus quod pro calcatura equarum detur vicesima pars, et possint eque pascere in quibuslibet pasturis, preterquam in pasturis bovum; et eque que calcaverint ordeum teneantur calcare annonam et cujuslibet generis bladi; et eque que paverint tempore yemis in territorio Arelatis compellantur calcare bladum Arelatis, vel dominus bailie det pro qualibet equa extranea viginti solidos, quorum medietas sit communis et alia accusantis. Et volumus quod quilibet dominus bailie et pastores ejusdem teneantur jurare curie de equabus extraneis revelandis usque ad festum Sancti Ylarii. Addentes ut vicesimam partem accipiant tantum, ut dictum est, et nihil accipiant de decima messorum, nec possint aliud habere occasione pulveragii, et quod non possint calcare ad assinum, et quod nullus custos equarum sit ausus ducere equas ad calcandum extra territorium Arelatis, nisi proprium bladum domini vel dominorum equarum, et calcato blado proprio revertantur in territorio Arelatis; primo tamen juramento prestato consulibus Arelatis vel alicui judicum Arelatis ab eo cujus

eque erunt, quod bladum aliud non calcabunt nisi proprium domini vel dominorum illarum equarum; et qui contra hoc fecerit in quinquaginta solidis puniatur pro qualibet calcatura quas eque fecerint extra territorium Arelatis, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato.

56. — *De equabus extraneis.*

Item, statuimus quod curia eligat tres viros qui diligenter inquirant si alique eque extranee steterint in yeme in territorio Arelatis, et qui exigant pro qualibet equa extraneorum viginti solidos, nisi steterint ad calcandum bladum Arelatis; et hoc fiat usque ad festum Sancti Ylarii.

57. — *De molitura.*

Item, statuimus quod molitura detur molendinis aure vicesima pars et molendinis aque tricesima pars, et pro hac parte teneantur cujuslibet generis bladi molere bladum; et bladum primum apportatum cujuscumque generis molendinarius prius molere teneatur. Quod si non fecerit in viginti solidis puniatur; et si molendinarii portaverint mollegiam, habeant pro singulis saumatis portandis et reportandis duos denarios. Statuentes quod molendinarii molendinorum aque tenementi Arelatis habeant mensuram ferro communis signatam que faciat tricesimam partem sextarii cum qua recipiant molituram; et molendinarii molendinorum aure habeant similiter mensuram ferro communis signatam que faciat vicesimam partem sextarii cum qua recipiant molituram; et in omnibus molendinis tam aure quam aque molendinarii teneantur molere bladum tam ponderatum quam non ponderatum: et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur.

Addentes quod portitores bladi molendinorum aque et molendinarii molendinorum aure puniantur in duplo ejus quod minus invenietur in farina, quod solvatur infra triduum ex quo farina venerit, et in restitutione farine detrahatur pondus sacci arbitrio ponderatoris.

58. — *De Furneriis.*

Item, statuimus quod furnerii accipiant vicesimam quintam partem pro forneria et postagia panum quos coquent, et illam accipiant in domo illorum quorum erunt panes, et quod teneantur ad furnum portare panem et inde reportare ad domum dominorum panis cum

tabulis propriis furnorum; et quod furnerii teneantur coquere panem civium Arelatis qui coquere voluerint, et quod non accipiant de fogaciis nec de caseatis, nisi diebus sabatinis quadragesime et in pascha; de oblationibus vero nihil accipiant, et hoc teneantur jurare quolibet anno furnerii et posterii; et qui contrarium fecerit viginti solidos det communi pro pena, quotiescumque fecerit contra illud.

59. — *De Furneriis et domibus eorum.*

Item, statuimus quod quilibet qui furnum habet faciat sibi furnellum de lapidibus, et teneatur ipsum et domos ipsius furni cooperire de tegulis vel terracio, et nullus audeat habere furnum neque furnerii domos cohopertas de sagnà; et consules Arelatis teneantur compellere dominos furnorum secundum formam supra dictam infra tempus sui regiminis.

60. — *De Consulibus.*

Item, statuimus quod duodecim consules sint in Arelate per annum, et dum extiterint consules agere et conveniri possint in causis pecunialibus sub judicibus Arelatis; et unusquisque consulum habeat pro salario trecentos solidos Ray. Et quod teneantur habere bonam et competentem equitaturam, et quod infra quinquennium dicti consules non possint creari iterum consules. Et quod electio consulum fiat die martis primo post Pascha. Si vero non tenerent predictam equitaturam per totum annum, perdant salarium statutum. Et quod pro condempnationibus faciendis intersint tres consules cum judicibus curie; et quod condempnationes fiant quater in anno de tribus in tribus mensibus; et quod tres ex ipsis teneantur per octo dies, nocte dieque, esse in curia et reddere jura; et de octo in octo diebus dicti tres consules mutentur in curia, aliis tribus ex ipsis consulibus subrogatis. Et clavarii non intersint condempnationibus faciendis, nec condempnetur aliquis nisi primo de delicto seu commisso fuerit curie legitime facta fides per confessionem vel per ydoneos testes.

61. — *De electoribus consulum.*

Item, statuimus quod nemo elector consulum consul esse possit ejus anni quo elector steterit.

62. — *De judicibus et tempore feriarum.*

Item, statuimus quod judices sint assidue in curia sedentes pro tribunali et rationem tenentes omni die et horis debitis, exceptis diebus dominicis et festis beate Marie et apostolorum et sancti Michaelis et aliis festis colentibus, nisi consulibus visum fuerit expedire, et incipiant facere ferias pro natali Domini in vigilia beati Thome apostoli, et extendantur usque ad festum apparitionis Domini. Similiter ferie pro Pascha durent a vigilia dominice in Ramis palmarum usque ad octabas Pasche; et pro ascenscione Domini per duos dies, scilicet vigiliam et festum; et per Pentecosten faciant ferias tribus diebus tantum. Et tempore messium fiant ferie per quinque septimanas; et tempore vindemiarum per mensem tantum.

63. — *De judicibus.*

Item, statuimus quod quilibet judex curie teneatur sacramento quod fecerit fideliter procurare omne commodum Arelatis et inquirere pro posse suo et instrumenta omnia ad commune pertinentia studiose perquirere; et si opus fuerit dictare, et nihil possint inde accipere occasione predicta; et tam tabellio consulum quam alii qui in curia fuerint non audeant aliquid accipere nomine vel occasione alicujus carte vel scripture pro communi facte, nihil omnino exigant vel accipiant, sed teneantur tam condempnationes quam alias scripturas communi necessarias gratis scribere.

64. — *De notariis curie.*

Item, statuimus quod commune habeat quinque notarios, cives Arelatis, qui sint in curia per totum annum continuum, duo cum consulibus et duo cum judicibus, et quintus cum clavario, et scribant acta omnia, et dentur singulis eorum pro salario trecenti solidi.

65. — *De notariis.*

Item, statuimus ut notarii faciant cartas in forma publica, et habeant notarii sive percipiant de instrumentis quorumcumque contractuum duodecim denarios; et de ceteris que fient in Arelate percipiant notarii quinque solidos et teneantur ire cum quolibet sine dilatu ad

faciendum testamentum, et de translatis testamentorum percipiant notarii tres solidos. De nota autem percipiant sex denarios, et si notarii faciant ex illa nota cartam secundum publicam formam percipiant alios sex denarios, et de instrumentis que fient de alienationibus rerum minorum, quia maximus labor est, percipiant notarii tres solidos, et in initio regiminis fiant nova cartularia. Addentes quod quilibet notarius teneatur facere instrumentum in forma publica infra mensem absolutione facta totius pretii numerandum, prout superius est expressum, quod dari debeat pro singulis instrumentis. Et quod teneatur quilibet notarius querere notas in propriis cartulariis sine aliqua prestatione pecunie, vel instrumenta si inde fuerint confecta statim, si poterit, vel infra octo dies. Et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur quorum medietas sit communis et alia accusantis. Verum si dissensio esset inter notarium et illum cujus est instrumentum de solutione pretii carte, credatur notarii juramento. Volentes etiam quod teneatur quilibet notarius integram instrumenti notam facere et scribere presentibus partibus, nisi de consensu partium rigor hujus statuti remitteretur. Et si forte partes dissentirent ut sic nota impediretur fieri, solvat notario qui eum vocaverit sex denarios. Et quilibet notarius qui habet cartularium alicujus defuncti notarii, quod et super scriptis qui notarius Arelatis desiit esse possit et teneatur de cartulario defuncti vel ejus qui desiit esse tabellio cartam secundum formam note quam in predicto cartulario inveniet ad mandatum curie in formam publicam scribere et cartam facere teneatur de mandato curie per notarium publicum Arelatis secundum formam note invente in cartulario notarii defuncti, et qui aliter desiit esse notarius, secundum quod usitatum est in Arelate fieri; et instrumenta perpetuam habeant firmitatem, ac si notarius qui cartam fecerit interfuisset contractui vel rei geste. Et pro querenda vel invenienda nota, dentur ipsi tabellioni ab eo cui fiet carta quinque solidi; et pro facienda carta, si inventa fuerit nota, duo solidi. Et si forte tabellio negligenter quesivisse notam posset redargui, in viginti solidis puniatur.

66. — *De Salario notarii qui extra Arelatem vadit.*

Item, statuimus quod cuilibet notario qui ducetur extra Arelatem per aliquem civem Arelatis, et moram fecerit per unam diem vel plures, dentur eidem pro singulis diebus quinque solidi pro itinere, et quod faciat ei necessaria tam in victu quam in equitatura ille qui

eum ducet, et preterea habeat pro instrumento vel instrumentis id quod statutum est dari, sicut superius continetur.

67. — *De hiis qui erunt notarii.*

Item, statuimus de notariis quod ita fiat sicut olim obtentum est.

68. — *Quod Consules vel Curiales non compellant aliquem ad commodandum equitaturam.*

Item, statuimus quod consules Arelatis vel aliquis Curialis non possit compellere civem aliquem ad commodandum ipsi, vel alicui de familia sua, vel de curia, vel etiam alicui alii equm vel aliquam equitaturam; et quod nec consules Arelatis nec aliquis de curia possit licenciare aliquem civem ab exercitu sive cavalcata, si oportet commune ire in exercitu sive cavalcata, propter equm vel aliquam equitaturam qui vel que commodata essent consulibus Arelatis vel alicui alii, salvo statuto de illis qui tenent equitaturas ad locandum.

69. — *Quod Consules vel Curiales non compellant aliquem ad differendum debitum.*

Item, statuimus quod consules Arelatis vel aliquis Curialis non possit compellere aliquem creditorem communis ad differendum debitum ultra terminum solutionis ; et quod quilibet creditor communis possit compellere illos qui ei fuerint quoquo modo pro communi obligati, curiales vel alios, sicut posset quemlibet alium privatum debitorem, sine contradictione curie et consulum Arelatis.

70. — *Quod Consules non accomodent arma communis.*

Item, statuimus quod consules Arelatis qui pro tempore fuerint in Arelate non possint accomodare cohoperturas nec balistas, nec alia arma communis, nisi tempore guerre; et tunc etiam nisi civibus et pro utilitate communis, recepta tamen ab illis de restituenda ydonea cautione, et quod consules qui tempore fuerunt nihil possint dare alicui de rebus vel de pecunia communis, sine voluntate et assensu consilii ad sonum campane advocati.

71. — *De Dextratoribus terrarum et vinearum.*

Item, statuimus quod dextratores terrarum et vinearum habeant duos solidos pro singulis diebus quibus dextrabunt, et pro dictis duobus solidis teneantur dextrare per totum districtum Arelatis, et indifferenter sine delectu personarum. Et si plus accipient, puniantur in decem solidos pro qualibet vice.

72. — *De Electione subclavarii.*

Item, statuimus et volumus quod clavarii eligant subclavarium, et subclavarius teneatur reddere rationem clavariis, semel, singulis septimanis, in scriptis, de habitis et expensis.

73.—*De Clavariis.*

Item, statuimus quod clavarii accipiant omnes condempnationes, et satisfaciant creditoribus communis. Addentes quod nullus possit accusare sine voluntate et licentia domini cui fiet dampnum seu tala.

74. — *De Ponderibus et mensuris.*

Item, statuimus quod commune habeat pondera cuprea, scilicet libram et a libra inferius, cum quibus legitimentur omnia pondera que erunt in Arelate, et omnia pondera tam communis quam cujuslibet privati signentur signo communis.

Item, statuimus quod omnes libre et alia pondera nummulariorum, speciatorum, merceriorum, quater in anno recognoscantur per clavarios. Et si falsum pondus aliquis inventus fuerit habere, in viginti solidis puniatur. Et idem intelligimus de balanciis, salvo jure domini archiepiscopi quod habet in ponderibus.

Item, qui vendiderit vinum in Arelate teneatur habere medium scandalium et quartanum scandalii, quibus tenentur vendere emere volentibus vinum suum.

75. — *De Judicibus. Quod nihil habeant de judicatura causarum.*

Item, statuimus quod de judicatura causarum inceptarum in curia Arelatis sive infra Arelatem sive in districtu Arelatis, quocumque modo sive occasione terminentur, nihil habeant judices curie, sed quicquid habebitur occasione causarum inceptarum in curia Arelatis

et ejus districtu, sive ibi terminentur judiciali sentent a, sive non, totum habeat commune: et aliquis tabellio curie de aliquo quod scribat in cartulario nihil habeat. Et qui contra hoc fecerit in viginti solidis puniatur; nec accipiat aliquid de litteris cereo sigillo sigillatis que pro necessitate vel utilitate alicujus civis extra civitatem mittentur; sed ab extrancis moderatam accipiat satisfactionem. Et qui litteras petierit habeat ceram cum qua sigillentur.

Addentes quod quilibet tabellio curie a quo petite fuerint littere ob causam predictam teneatur eas facere et restituere ea die vel crastina sub pena decem solidorum, vel etiam eadem si multum intersit petentis. Et pro singulis possessionibus, confessionibus et testium depositionibus translatandis, habeat notarius singulos denarios tantum, et pro hiis teneatur reddere omnia supra dicta partibus exigentibus. Et notarius qui contrarium fecerit in decem solidis puniatur, et id quod superfluum exigerit ab aliquo restituere in duplum illi a quo exigerit teneatur: et id servari volumus in omnibus curiis, judiciis et arbitriis que fient in Arelate.

76. — *De Salario nuntiorum.*

Item, statuimus quod curialis, sive miles, sive tabellio, vel clavarius, vel subclavarius, vel etiam apparitor, pro aliquo viagio quod fecerit pro communi vel aliquo cive singulari, nihil habeat preter illud quod percipere debet a communi, pro victu et mercede equitature. Si vero contigerit et apparitorem ultra unam dietam ire, percipiat a communi duodecim denarios pro una quaque dieta, tam pro victu quam pro mercede. Et consules Arelatis teneantur mittere apparitorem curie pro quolibet cive Arelatis, quando necesse fuerit, expensis illius pro quo mittetur, et habeat nuncius duodecim denarios tantum, ut dictum est superius, pro dieta.

77. — *De Embayssatoribus.*

Item, statuimus ut embayssatoribus, qui pro negotiis communis ierint per provincias, ab Arausica et ab Aquis et a Marcilia et a Montepessulano infra, possint ducere duas equitaturas tantum et in eisdem locis dentur singulis embayssatoribus pro qualibet bestia, singulis diebus, quatuor solidi tam pro victu quam mercede equitature, et hoc addito quod si in loco pernoctaverint, ubi currant melgorienses vel regales, dentur eis quatuor solidi monete currentis in loco ubi per-

noctabunt, pro singulis bestiis, in die vel diebus quibus ibi pernoctaverint; et nullus possit habere ultra duas equitaturas; et hoc intelligimus si extra Arelatem pernoctaverint. Verum si eodem die in Arelatem redierint, octodecim denarios Ray. habeant tantum pro qualibet equitatura.

Statuimus etiam quod notarius qui cum embayssatoribus mittetur in viagio possit habere duas equitaturas tantum; et quilibet Arelatis qui tenebit equitaturas ad locandum non recipiat ab embayssatoribus per diem nisi octodecim denarios pro victura, et pro tali mercede teneatur dare equitaturam suam. Et si equitature morirentur in viagio vel morbo viciarentur, illud dampnum restituatur arbitrio communis. Illi vero qui habebunt equitaturam ad locandum, puniantur in decem solidis, si secundum predictam summam non dimiserint equitaturam embayssatoris; et volumus quod predictum salarium detur illis tantum qui habebunt mandatum eundi a curia Arelatis. Et si clavarius vel clavarii, qui tenentur vel tenetur ad expensas prestandas, embayssatoribus, plus quod expressum est, dederint vel dederit, in quinquaginta solidis puniantur.

Addentes quod consules teneantur satisfacere de communi embayssatoribus, antequam eant in embayssatoria, secundum quod statutum est, et secundum quod arbitrati fuerint, quantum debeant ipsi embayssatores morari in ipsa embayssatoria. Et si starent ultra quod ipsi arbitrarentur, quod illud quod restaret, ut dictum est, ad solvendum teneantur consules Arelatis, in redditu ipsorum, eodem die vel crastina, facere solvi a clavariis, ut dictum est, per singulos dies.

78. — *De embayssatoribus per aquam missis.*

Item, statuimus quod quotiescumque embayssatores destinati fuerint per aquam, eligatur a clavariis vir bone fame cui tradentur expense quas facturi erunt embayssatores, qui jurabit quod fideliter procuret eos in victu et cum mensura; et quod nihil det de pecunia vel communis ipsis embayssatoribus vel aliis, et qui contrarium fecerit in mille solidis puniatur.

79. — *De castris et villis communis.*

Item, statuimus quod omnia castra communis Arelatis custodiantur secundum quod continetur in cartis factis super venditionibus vel pignorationibus castrorum ipsorum et redditiuum et proventuum eorumdem.

80. — *De castro Aurille.*

Item, statuimus quod castrum Aurille non incantetur; sed tres castellani constituantur qui sint ydonei, et habeat quilibet eorum in bonis tam possessionibus quam immobilibus viginti mille solidos, et dentur castellano cuilibet centum solidi pro salario; qui caute et fideliter custodiant dictum castrum, et commune habeat in dicto castro tres gachas et unum fornerium, et unum fornelerium, et unum porterium, et unam badam, et septem alios servientes (1) cives Arelatis et non extraneos, quorum duo sint peyraroni; et quod dentur castellanis a communi pro se et servientibus prenominatis ducenta sextaria frumenti, et decem modia vini, et mille solidi pro victu et companagio unius anni; et pro civata centum undecim sestaria ordei; et omnium predictorum clavarii, qui eligentur in Pascha, solvant medietatem infra octo dies ex quo fuerint in clavaria; et clavarii, qui eligentur in festo Sancti Michaelis, solvant aliam medietatem usque ad viginti quinque dies post festum Sancti Michaelis. Statuentes etiam quod in eodem castro Aurilie tantum victualium reponatur quod sufficere possit ad castrum custodiendum per sex menses, de quibus victualibus nihil expendatur donec in eodem castro tantumdem sit repositum quod per alios sex menses possit sufficere ad custodiendum dictum castrum. Et castellani teneantur ibi tenere quatuor canes mastinos ad custodiendum dictum castrum, et ob hoc habeant fornagium furni et ipsi castellani faciant expensas furni, et dictos quatuor canes emant clavarii et non recedant de dicto castro.

81. — *De redditibus Auricule.*

Item, statuimus quod redditus et obventiones Aurille singulis annis incantentur et vendantur. Addentes quod dicti clavarii teneantur mittere totum predictum bladum in dicto castro, et dicti castellani non sint ausi movere de dicto blado vel extrahere de dicto castro nisi pro cibo ei et familie dicti castri necessario, nisi finito tempore castellanie sue. Et qui contrarium fecerit in decem libris puniatur, et quod inde extrahent de dicto castro infra octo dies restituere teneantur.

---

(1) Ducange, au lieu de *servientes*, avait lu : *sufficientes*.

82. — *De canna, alna et dextro.*

Itum, statuimus quod canna et alna et dextrum de ferro in palatio communis fiant et cudantur. Et forme cayronorum et tegularum ibidem fiant; secundum quam formam fiant canne et alne, et quod palme cannarum et alnarum signentur prout in canna curie sunt signati; et in quolibet operatorio sint una canna, unum dextrum et una auna tantum, et qui plures habebit in centum solidis puniatur vel in plus, arbitrio consulum Arelatis; et qui plures habuerit infra octo dies ejiciat et removeat de operatorio. Et dextrum quo mensurabitur, et cayroni et tegule fiant secundum formam eorum qui erunt in palatio communis Arelatis.

83. — *De bonis decedentium sine herede.*

Item, statuimus quod bona decedentium sine herede vel sine ultima dispositione deponantur apud aliquem bonum virum, et custodiantur et solventur per unum annum a morte ejus cujus bona fuerint computandum. Quo transacto, si nullus appareat heres defuncti, totum operi pontis vel pontium Rodani Arelatis applicetur. Et si postea quandocunque apparuerit heres, ei restituatur de bonis dicti pontis, salvo tamen jure suo dominis a quibus bona decedentium tenerentur: ita secundum quod bona illa que a dominis tenentur, vendantur et pretium redactum ex dictis bonis distribuatur in piis causis, consilio ecclesie, pro anima illius defuncti vel defunctorum; debitis et fore factis illius defuncti vel defunctorum illorum de bonis deductis illius.

Addentes etiam quod si quis pro commissis suis vel fore factis acciperet aliquid et non appareret quibus vel cui esset obligatus, illud applicetur ponti vel pontibus Arelatis; ita tamen quod quandocunque appareret cui ille esset obligatus, quod pons et pontes teneantur restituere.

84. — *De arbitrio trium virorum.*

Item, statuimus quod tres boni viri constituantur quorum arbitrio solvant domini bailiam tam ovium quam equarum et vaccarum, id quod dari debeant pro lupis qui interficientur in territorio Arelatis.

85. — *De lupis fugandis.*

Item, statuimus quod cuilibet qui lupum interficiet in territorio Camargiarum dentur pro quolibet lupo magno viginti solidi, et pro quolibet lupo parvo quinque solidi. Et hec solvant illi tantum qui habent animalia infra Camargias. Et idem intelligimus de lupis magnis et parvulis interfectis et captis seu extractis de lupenia in tenemento Tribontii et in tenemento Cravi, et hiis volumus Planum contineri; et quicumque in dictis tenementis se cepisse lupum parvulum asseruerit luperiam ostendere teneatur.

Addentes quod consules Arelatis ad requisitionem illorum trium teneantur compellere bis et ter in anno, ad lupos casciandos cujuscumque territorii supra dicti, illos qui habebunt animalia in territoriis ante dictis.

86. — *Quod nullus sit bis clavarius infra quinquennium.*

Item, statuimus quod nullus bis sit clavarius communis infra quinquennium sive fuerit in futurum. Et idem dicimus de omnibus officialibus et curialibus in eisdem officiis in quibus fuerint officiales; et quod nullus habeat duo officia de quibus detur salarium, et de hiis excipimus notarios.

87. — *De Levatis.*

Item, statuimus quod in levatis corrigie Trencatalliarum et in levatis Caudelonge eligantur et habeantur tres levatarii probi homines bone fame et curiosi et qui habeant possessiones in dictis locis valentes quinque millia solidos singuli eorumdem, et cuilibet eorum dentur quinquaginta solidi tantum; et quod juxta pedem levate nullus audeat facere vallatum, neque laborare, neque fodere, nequeara in spatio quatuor palmarum canne, a pede levate mensurandarum; et fossata levatarum nullus audeat claudere, obturare, vel impedire, quominus possit per eas ire commode sicut per viam publicam. Et qui contra hoc fecerit pro qualibet vice in viginti solidis puniatur. Et nullus audeat habere vel tenere porcos, asinos, boves, oves vel alia aliqua animalia, causa pascendi in dictis levatis; et qui contrarium fecerit solvat bannum statutum in pratis et bladis, quorum medietas sit communis et alia accusantis; accusatore nullo modo vel tempore celato; et hec eadem omnia, preter numerum et valorem possessionum levatario-

rum, conservari volumus in omnibus levatis Arelatis et tenementi Arelatis. Et in Tribuncio constituantur duo levatarii quorum uterque habeat quinquaginta solidos pro salario; et in Plano unus et in Rupta alius, quorum uterque habeat triginti solidos: et in levatis Cape constituantur duo levatarii usque ad molendinum Terrasanum quorum uterque habeat quinquaginta solidos; et in levatis Portivallerii ponantur duo levatarii.

Item, statuimus etiam quod in levatis corrigie Caudelonge sint etiam, ut predictum est, tres levatarii et quartus qui sit religiosus de domo templi, aut hospitalis, aut monialium et eligatur a dictis tribus domibus, et qui tantumdem habeat salarii quantum primus predictorum trium, si habere voluerit. Et si necesse vel utile fuerit pro predicta levata corrigie Caudelonge reficienda vel melioranda collectam fieri, quod domus omnes religiose et omnes tam clerici quam laïci que vel qui possessiones, vel predia culta vel inculta tenent directe vel utiliter, ubi partem temporalem fructuum percipiant, infra predictam levatam teneantur subire et dare dictam talliatam pro modo jugerum secundum modum et rationem civium Arelatis. Que talliata fiat per predictos quatuor levatarios. Dicte autem levate finem dicimus a trencathalliis usque ad Albaronem prout clauditur a Rodano Sancti Egidii.

Item, in ceteris levatis totius districtus Arelatis volumus quod omnes domus religiose subeant et prestent dictam talhatam secundum quod et cives Arelatis prestarent, hoc excepto quod in ceteris levatis, preterquam in predicta, nullus religiosus eligatur, salvo jure barcali si quod habet.

Item, statuimus quod in dictis levatis non fiat aliquid abeuratorium de novo sub pena viginti solidorum. Statuentes etiam quod roveria levatarum et taupie et receptacula cyrogrillorum crementur et destruhantur, quolibet mense semel per levatarios, et ipsi levatarii possint cyrogrillos quos in levatis invenerint capere impune quolibet tempore, si dominus fuerit negligens in captione cyrogrillorum, postquam ei denunciatum fuerit per levatarios bis.

88. — *De emphiteotis et inquilinis et locatoribus.*

Item, statuimus quod emphiteote et inquilini teneantur solvere dominis vel locatoribus census et pensiones domorum et aliorum bonorum terminis statutis inter ipsos dominos et emphiteotas et

inquilinos et locatores. Et si in solutione censuum vel pensionum inquilini moram fecerint, dominus sive locator possit sua authoritate cum clave claudere hostia et inquilinorum res vel emphiteotarum retinere, vel honores alios pro quibus census vel merces dari debet, vel interdicere quousque fuerit locatori vel domino de censibus vel pensionibus satisfactum. Et si querimoniam locator seu dominus exposuerit de inquilino vel censum debente eo quod cessat in solutione pensionis vel census, volumus dari mensem ad solvendum sibi inquilino vel censum debenti confitenti se debere pensionem vel censum; secus, ipsa die qua querimonia exposita fuerit curie vel saltem crastina solvere teneatur.

89. — *De sacramento cientadanagii.*

Item, statuimus quod quicumque juraverit vel jurabit (sacramentum) cientadanagii (melius *citadanagii*) Arelatis teneatur ponere in possessionibus tertiam partem omnium bonorum suorum mobilium infra sex menses, et nullus recipiatur de cetero in cientadanagio Arelatis nisi prius juraverit quod infra dictos sex menses ponat tertiam partem omnium bonorum suorum mobilium in possessionibus et quod sit mansionarius Arelatis per quinquaginta annos, et quod nullus credatur esse civis seu habeatur, nisi sit mansionarius, quamvis instrumentum habeat de cientadanage, et si instrumentum aliquod inde aliquis haberet de cientage *(sic)*, quod nullam obtineat roboris firmitatem.

90. — *De juramentis et emprenementis.*

Item, statuimus et ordinamus quod juramenta et emprenementa, vel vota seu confratrie vel conspirationes non fiant in tota villa nec in tenemento Arelatis vel alicubi per Arelatem, vel in districtu Arelatis et si fiant nullius sint momenti. Et qui contra fecerit puniatur in hunc modum : si in aliquo officio publico est, removeatur ab eo ut infamis, et nullo tempore possit esse officialis in Arelate et bona ejus dissipentur, exceptis domibus de quibus statuimus ut supra de maleficiis; et ipse sit faiditus vel bannitus ab Arelate et districtu Arelatis perpetuo; et idem dicimus de hiis qui se armaverint contra commune Arelatis.

91. — *Quod nullus nuntius equitet super bestiam oneratam.*

Item, statuimus quod nullus nuncius audeat equitare supra aliquam

bestiam oneratam, neque audeat equitare super bestiam solutam cum socio vel cum socia sine licencia domini. Et qui contra fecerit in decem solidis puniatur pro qualibet vice, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato, et quantum ad hoc juramento accusatoris credi volumus; et qui solvere non poterit, decem solidos predictos per totam villam fustigetur, et cuique sit licentia dictum nuncium de predicta bestia contumeliter descendendi.

92. — *De macellariis*

Item, statuimus quod nullus macellarius audeat aliquod animal strangulare, sive minuere, seu sanguinare in macella vel in via publica, infra Arelatem, nec coria extendere in via publica in Arelate, nec cornua projicere; et qui contra fecerit pro qualibet vice in viginti solidis puniatur, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato.

93. — *De cepo.*

Item, statuimus quod cepum extra Arelatem fiat et nunquam infra, nec apportetur in Arelate nisi frigidum vel siccum; et qui contra fecerit in quinque solidis puniatur pro qualibet vice quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato; sed quod fiat tali loco et tempore quod fumus seu fetor non possit intrare civitatem.

94. — *De domino Hugone de Baucio.*

Item, statuimus quod dominus Hugo de Baucio, vel aliquis pro eo vel nomine ejus, non accipiat nec accepi permittat consules Arelatis in Arelate vel ejus tenemento, illos octodecim denarios monete currentis quos recipit in portu Trencatalliarum, de permissione et patientia ecclesie, ut dicitur. Et nihil possit exigere pro quidagio, vel pro aliqua causa, sive exactionem de novo facere. Et quicumque recipiet pedagium antiquum vel novum usaticum in riperia Rodani et tenemento Arelatis, cujuscumque nomine vel autoritate recipiat, teneatur quolibet anno jurare coram consilio ad sonum campane advocato et non recipiat nomine pedagii usatici aliquid ultra solitum modum vel ultra quam debeat esse in Arelate. Et quicumque contra fecerit puniatur pro qualibet vice in viginti quinque solidis Rav. quorum medietas sit com-

munis et alia accusantis; et si non habeat unde solveret, volumus quod fustigetur per civitatem et burgum, et non audeat esse in Arelate vel ejus tenemento ab illa hora in antea exactor pedagii vel usatici alicujus.

Statuentes etiam quod curia teneatur efficaciter supra dicta inquirere et punire infra triduum postquam ei fuerit denunciatum.

95. — *De registro communis.*

Item, statuimus quod commune teneatur habere unum librum de parguameno in quo transcribantur sive translatentur omnia instrumenta ad commune pertinentia, per manus illorum notariorum qui instrumenta fecerint cum signo suo, si vivunt ipsi notarii; si vero mortui sint ipsi notarii vel absentes, volumus quod alii notarii Arelatis illa instrumenta scribere teneantur et apponere sua signa.

Item, volumus quod in eodem libro scribantur expense per manus notarii que facte sint vel fient de cetero pro refectione castri Aurille et custodia ejusdem castri et pro refectione vel custodia aliorum castrorum quoquomodo pertinentium ad commune Arelatis, vel occasione eorumdem castrorum, vel pro litibus motis vel movendis, ipsorum castrorum occasione. Et ille liber teneatur cum cathena in archa communis. Et clavarii teneantur infra tempus sue clavarie procurare quod fiat dictus liber in forma prescripta; et si in hoc negligentes fuerint, in suis salariis puniantur et pro quolibet instrumento transcribendo in dicto libro dentur notario tres solidi.

96. — *De leprosis.*

Item, statuimus quod nullus leprosus vel leprosa vel nullus lepra corporaliter infectus vel infecta, ita quod appareat lepra, audeat stare nec morari vel redire infra muros Arelatis de die vel de nocte. Et quicumque inventus fuerit per executores curie, ab Arelate expellatur; et omnes apparitores curie teneantur sacramento quod fecerint curie expellere quoscumque invenerint infra Arelatem; et si non fecerint puniantur in amissione sui salarii.

97. — *De translatis testamentorum et aliorum instrumentorum.*

Item, statuimus quod transcripta sive translata testamentorum et aliorum omnium instrumentorum, in Arelate et districtu Arelatis,

exceptis instrumentis mutui, scripta, ut sint facta per notarium publicum Arelatis, eamdem inde obtineant firmitatem ac si essent instrumenta originalia, ita ut per ipsa translata plenam probationem fieri valeat, sicut per ipsa instrumenta originalia.

98. — *Quod tabernarii habeant barralia.*

Item, statuimus quod tabernarii habeant barralia in sufficienti quantitate signata ferro communis cum quibus mensuretur vinum quod vendetur et emetur, et non cum aliis barraliis; et pro singuliis barraliis habeant dicti tabernarii singulos obolos, tantum scilicet singulis diebus; et quod tempore vindemiarum non possint tabernarii locare barrilia bastassis vel extra territorium Arelatis alicui extraneo.

99. — *De mensura cuprea.*

Item, statuimus quod commune habeat mensuram cupream cum qua legitimentur barralia et cum qua mensurentur quater in anno, et fiat ejus copia cuilibet Arelatis volenti barrale suum legitimare. Et hoc teneantur clavarii facere; quod si non fecerint in suis salariis puniantur.

100. — *De piscatoribus.*

Item, statuimus quod quicumque piscabitur in Vaquerio vel in aliis stagnis vel in quacumque piscaria, in toto districtu Arelatis, pisces recentes vel salsatores, afferat in Arelatem.

101. — *De piscibus marridis.*

Item, statuimus quod neque piscatores neque venditores misceant pisces marridos cum non putrefactis; et qui miscuerint careant pretio et pisces marridi restituantur ei, et nihilominus dent pro pena viginti solidos quorum medietas sit communis at alia accusantis.

102. — *De piscatoribus et revenditoribus piscium.*

Item, statuimus quod nequis piscator vel revenditor piscium audeat salare pisces cum sale cum quo fuerint salsati bacones vel alie carnes. Et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato.

103. — *De venditoribus olei.*

Item, statuimus quod nullus revenditor olei vendat oleum alicui causa comedendi nisi francum; et qui contra fecerit pro qualibet vice in quinque solidis puniatur.

104. — *De fraude pedagii salis.*

Item, statuimus quod nullus transferat salem in fraudem pedagii debiti alicui Arelatis; et quicumque contra fecerit in viginti solidis puniatur pro qualibet vice, quorum medietas sit communis et alia accusantis, accusatore nullo modo vel tempore celato.

105. — *De piscatoribus juxta gradum.*

Item, statuimus quod quilibet piscator qui juxta gradum moram faciet causa piscandi, teneatur semel jurare in anno curie Arelatis lignum quodlibet hominis Arelatis quod pro gradu exiet vel intrabit juvare suo posse si periclitaverit; et si contigerit lignum vel ligna pati naufragium, quod Deus avertat, teneatur similiter lignum et res ejusdem ligni salvare suo posse, et de omnibus hiis que salvaverint habeant pro qualibet libra duodecim denarios, et pro labore suo de lignis extraneorum accipiant duos solidos tantum.

106. — *De pastoribus ovium.*

Quoniam maliciis hominum non est indulgendum, hoc presente statuto statuimus quod quilibet pastor, tam ovium quam alterius generis animalium, teneatur sub sacramento quod si animal quod non sit suum vel de baylia aliena, in bayliam animalium quam ipse custodiet advenerit, domino vel custodi de cujus grege seu armento fuerit animal, si id cognoverit, denunciet sine mora. Verum si dominum non cognoverit seu custodem animalis extranei seu animalium, infra mensem ad curiam denunciet et adducat. Et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur pro quolibet animali.

107. — *De muro seu barrio communis.*

Item, statuimus quod in muro quem commune fecit vel faciet in clausura Arelatis, nullus sit ausus onerare, nisi primo det communi

quinque solidos pro si gulis cannis semel tantum. Idem dicimus de laupia.

108. — *De aggere vel viis que sunt juxta muros communis non minuendis.*

Item, statuimus quod nullus sit ausus rumpere seu minuere aggerem vel vias que sunt juxta muros communis, ubicumque sit, juxta muros clausure Arelatis. Et qui contra fecerit in centum solidis puniatur, pro singulis annis, quorum medietas sit communis et alia accusantis.

109. — *De toxico.*

Item, statuimus quod nullus speciator sive alius quilibet presumat vendere alicui toxicum, nisi septem testibus adhibitis fide dignis. Et qui contrarium fecerit in centum libris Ray. puniatur, quorum medietas sit communis et alia accusantis; et si penam solvere nequiverit corporaliter puniatur.

110. — *De correctione statutorum.*

Item, statuimus quod statuta Arelatis corrigantur et fiant prima septimana quadragesime per duodecim statutores; et quod illi statutores includantur infra domum domini archiepiscopi a porta prima introitus, et quod non exeant donec correxerint vel fecerint; et quod cuilibet eorum dentur duo solidi tam pro eorum expensis quam pro eorum nuntiis, qui nuntii sint de apparitoribus curie, et quod nullus sit ausus loqui cum eis seu venire ad eos super facta statutorum, nec debeat recipere cartam ab aliquo seu breve nisi de mandato curie; et postea per dominum archiepiscopum vel ejus locum tenentem, presentibus statutoribus, corrigantur et more solito confirmentur.

111. — *De carta consulatus.*

Item, statuimus quod carta consulatus teneatur et observetur ab ipsis.

112. — *Quod quilibet judicum curie habeat statuta.*

Item, statuimus quod quilibet judicum curie habeat statuta universa, ut sic possit facere condempnationes secundum statuta, ita quod non possit in aliquo reprehendi.

113. — *Quod quilibet notarius habeat statuta.*

Item, statuimus quod quilibet notarius Arelatis teneatur habere omnia statuta supra cripta et cizas et bannos, infra duos menses, et facere copiam cuilibet de libro statutorum in suo operatorio et non extra. Qui vero non habuerit in centum solidis puniatur.

114. — *Quod usura a communi tradita sit ponti Rodani.*

Item, statuimus quod si aliquis habuerit aliquid a communi injuste, ut puta usuram vel aliquod aliud quod sine dampno anime sue retinere non potest, possit illud restituere, si voluerit, ponti Rodani Arelatis; et de eo quod restituerit ponti sit quitus et absolutus per inde ac si communi restituisset.

Addentes quod si communi fuerit restitutum, commune teneatur reddere totum illud quod inde recuperaverit operarius ipsius pontis

115. — *De pignoribus curie reddendis.*

Item, statuimus quod si pro quoquo delicto vel facto consules Arelatis vel ejus curia exegerint ab aliquo cive pignora pro qualicumque quantitate, possint civis ille vel ejus fidejussores reddere pignora qualiacumque voluerint, videlicet equos vel armaturas vel alia mobilia valentia tantam quantitatem pro qua pignora exigentur; nec possint consules Arelatis vel eorum curia compellere aliquem civem ad reddendum privatim et precise pignora denariorum vel argenti vel alia; ed sit contentus, ut dictum est, pignoribus quibuscumque valentibus quantitatem pro qua ea exigerent.

Addentes quod pignora quecumque reddita curie possit redditor pignorum si ydoneus est vel ydoneos fidejussores det pro illis reddendis, manu levare a clavariis usque ad tempus condempnationum proximo sequentium, et clavarii teneantur hoc permittere, et quod consules Arelatis vel eorum curia non possint prohibere manu levationem illam; et quod non possint consules Arelatis vel eorum curia huic statuto fraudem facere aliquo modo.

116. — *Quod redditus tutelarum et curarum incantentur.*

Item, statuimus quod redditus et proventus tutelarum et curarum possint et necessario debeant incantari seu licitari, nisi testator, qui

tutelam vel curam dederit, hoc prohibuerit expresse, excepta pecunia numerata. Pecuniam vero numeratam prohibemus penitus incantari; tutor tamen vel curator habeat potestatem percipiendi id quod de licitatione sibi dari debebit. Et si licitator bona minoris deteriora fecerit teneatur ressarcire idem in quo deteriora fecerit, et satisdet ydonee de pretio licitationis tempore statuto solvendo et de bonis solvendis et non deteriorandis; et de pretio licitationis non possit bona dare in solutum ipse vel ejus fidejussores, et tam mobilia quam alia bona que receperit licitator sint periculo licitatoris ipsius. Et ideo in licitatione estimentur mobilia ut sciatur quantum debeat licitator restituere, si mobilia perirent vel deteriorarentur.

117. — *Quod nullus tutor possit esse curator illius cujus fuerit tutor.*

Item, statuimus quod nullus tutor possit esse curator vel administrator bonorum illius vel illorum cujus vel quorum fuerit tutor, nisi a testatore hoc ei concessum fuisset.

118. — *De tutore vel curatore.*

Item, statuimus quod nullus tutor vel curator possit vel debeat exigere vel recipere juramentum ab illis quorum fuerit tutor vel curator super aquitatione vel remissione administrationis tutele vel cure per eos geste, nisi de autoritate curie reddidissent rationem et aquitationem : et si receperint, consules Arelatis teneantur compellere ad remittendum predictum juramentum, et restituere instrumentum aquitationis vel ipsum in ipsius presentia delere.

119. — *De castris et villis communis.*

Item, statuimus quod in omnibus castris et villis que vel quas commune Arelatis quocumque modo tenet, currant monete que currunt et current in Arelate, et mensuris bladi Arelatis mensurentur; et oleum et ea que oportebit mensurari et ponderari ponderentur et mensurentur cannis et alnis et libris Arelatis.

120. — *De hostagiis tenendis.*

Item, statuimus quod quicumque tenuerit hostagia, non obstante juramento, possit venire ad consortiam et consilium et Raydam et incendium, et venire ad domum archiepiscopi, quando dominus

archiepiscopus mandaverit ei et ire preconi et quemcumque curia mandaverit, nec teneatur esse in hostagio a vigilia sancti Thome apostoli usque in crastinum apparitionis Domini, et a vigilia Ramis palmarum usque ad crastinum octabarum Pasche, et a vigilia Pentecostes usque in diem Mercuri sequentem. Et quilibet creditor debitores suos temporibus predictis ab hostagiis absolvere teneatur. Et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur pro qualibet vice.

121. — *De salario notarii qui interfuerit correctioni statutorum.*

Item, statuimus quod tabellioni qui interfuerit correctioni statutorum istorum, videlicet *Joanni de riperiis*, dentur a communi pro salario centum solidi infra mensem, et quod tabellio teneatur scribere in formam novam, vel scribi facere omnia statuta.

122. — *Quod usatica et pedagia antiqua scribantur in registro communis.*

Item, statuimus quod consules Arelatis teneantur facere redigi vel scribi per notarium publicum Arelatis in registro communis omnia usitata et pedagia antiqua que solita sunt accipi in riperia Rodani Arelatis, ita quod ab omnibus legi et sciri possint, et quod consules Arelatis vel eorun curia teneantur inquirere veritatem pedagiorum et usaticorum per instrumenta vel testes ydoneos secundum juris ordinem.

123. — *De gacha turris.*

Item, statuimus quod gacha stet continuo cum cornu in aliquo loco Arelatis in quo consilium convenerit; quod buccinet quando ascenderit turrim, et albam et ad ignem quando necesse fuerit, et quod dentur pro loquerio turris ubi stabit novem solidi tantum.

124. — *De pastoribus animalium aliquorum.*

Item, statuimus quod nullus pastor vel custos alicujus baylie vel armenti audeat vendere, donare, levare vel aliquo modo alienare animalia propria sua vel alia, cujuslibet generis sint, domino ipsius baylie ne requisito. Et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur; domino tamen requisito, libere possit ea vendere que sunt ipsius pastoris.

Addentes quod nullus pastor, sub pena centum solidorum, sit

ausus removere aliquam bestiam quam habet in baylia donec resonaverit domino suo.

Addentes quod taliter factis et faciendis inter dominos et pastores quorumcumque animalium credatur et habeatur plena fides.

125. — *De consiliariis.*

Item, statuimus quod consules Arelatis habeant sex viginti consiliarios singulis annis, sexaginta milites et sexaginta probos homines; et solum modo duo notarii intersint consilio et non plures. Et idem dicimus de quibuslibet aliis officialibus videlicet, quorum medietas sit militum et alia medietas proborum virorum.

126. — *De heretico vel infamata persona.*

Item, statuimus quod nullus suspectus vel infamatus de heresi possit esse in consilio vel in aliquo publico officio.

127. — *De gabella salis.*

Item, statuimus quod pro quolibet modio salis quod fiet in Camargiis vel alibi in tenemento Arelatis dentur quinque solidi communi a venditore, quandocumque sal illud extrahetur de tenemento et districtu Arelatis.

128. — *De cavalcatis.*

Item, statuimus quod quandocumque exeatur ad arma vel cavalcatam nullus quidem civis possit ducere duos equos nisi essent sui, vel habeat eos ex causa commendati ab extraneo et non a cive.

129. — *Quod officiales habeant statuta super officiis suis.*

Item, statuimus quod omnes officiales, qui a curia statuentur, teneantur per sacramentum habere et tenere transcriptum illorum statutorum que tangent eos super officiis suis.

130. — *De ponderatione panis.*

Item, statuimus quod quolibet mense faciat curia ponderare panem manganeriorum; et si panis manganerie alicujus inveniretur illegitimus, panis ille frangatur et detur pauperibus incontinenti, causa elemosine, antequam recedant de loco ubi panis ponderabitur. Illi

vero qui ponderabunt panem, si invenirentur restituisse panem illegitimum, puniantur in viginti solidis.

131. — *De nunciis curie.*

Item, statuimus quod octodecim apparitores sive nuncii sint in curia; qui apparitores sint cives Arelatis et non extranei, et quod non debeant habere vel accipere ab aliquo cive ultra quam conventum fuerit eis a clavariis. Et si aliquis dictorum nunciorum convictus fuerit ab aliquo Arelatis aliquid recepisse, in viginti solidis puniatur; et quod duo ex dictis nunciis quolibet sero jaceant in palatio communis, et dicti nuncii sint assidue in curia dum curia tenebitur.

132. — *De diffinitione litium parietum et stillicidiorum.*

Item statuimus quod inter milites et probos homines eligantur tres viri quorum unus sit magister lapidum, arbitrio quorum et cognitione diffiniantur lites parietum et stillicidiorum et aliorum servitutum que inter cives Arelatis orirentur. Et quidquid per predictos in dictis controversiis diffiniretur sit firmum et ratum ac si fuisset a judicibus curie diffinitum.

Addentes quod quilibet illorum tantum habeat pro salario duos solidos pro qualibet lite et controversia quam diffinierint et terminaverint seu complebunt.

133. — *De navigio onerato.*

Item, statuimus quod si navigium venerit oneratum per Rodanum et voluerit applicare in aliquo portu riperie Arelatis, quod homines illius navigii onerat possint removere sua autoritate propria, et alibi ligare, sine aliqua contradictione, navigia vacua et sine onere que essent in aliquo portu riperie Arelatis, et navigium oneratum sive navigia onerata applicare in portu in locum navigiorum vacuorum et sine onere; et quod in navigiis vacuis quilibet possit aurire aquam sine contradictione illius cujus fuerit navigium. Et quicumque prohibuerit in duobus solidis puniatur, quorum medietas sit communis alia vero accusantis; appellatione autem navigiorum volumus contineri ligna.

134. — *De arvis condamine abbatisse.*

Item, statuimus quod arvi de condamina abbatisse et de quolibet

alio loco existentes in viam publicam putentur quolibet anno a domina abbatissa et ab aliis dominis aliorum locorum ubi arvi fuerint; quod si facere noluerint, quilibet homo possit putare et scindere autoritate sua propria arvos existentes in viam publicam, ne dicti arvi faciant impedimentum transeuntibus per viam publicam.

Addentes quod illi qui habent vineas in condamina abbatisse removeant lapides de carreria fronterie vinee sue; et de ortis idem dicimus et de omnibus aliis viis extra civitatem. Et hoc teneatur quilibet facere in fronteria sua, in pena quinque solidorum.

135. — *De censu solvendo.*

Item, statuimus quod si illi qui census dare tenentur non solverint terminis statutis censum, vel non attulerint dominis quibus datur census, domini teneantur conqueri curie, et curia faciat duplicare census dominis conquerentibus; et commune habeat pro pena quinque solidos. Et si domini non conquerentur curie, non possint honores pro quibus dantur census incidere in commissum. Et si census darentur in diebus feriatis in quibus non redderetur jus generaliter, tum curia teneatur, non obstantibus diebus feriatis, audire querimoniam a dominis conquerentibus super censibus; et si allegaretur ab illis qui census dare tenentur quod solvissent census, sit in electione domini cui census datur utrum velit jurare sibi solutum non fuisse, vel illi qui dat censum solvisse deferat sacramentum. Et hoc intelligimus in omnibus censibus, exceptis censibus bladi.

Si vero detur census bladi pro vineis, quod illi non possint vindemiare vineas usquequo solverint censum terminis statutis; et si vindemiarent ante, duplicent propter ea censum, nisi hoc procederent de voluntate dominorum.

136. — *De vexillo communis.*

Item, statuimus quod consules Arelatis non deferant nec deferri faciant vexillum proprium, sed solummodo vexillum communis; et si fuerit necessarium vexillum communis Arelatis deferri, quod una vice portetur per militem et alia per probum hominem.

137. — *De speciatoribus* (vel *spiciatoribus*).

Item, statuimus quod speciatores operent secundum quod eis precepit antidotarius, vel secundum quod visum fuerit medico expedire,

et quod non vendant unum pro alio nec electuarium corruptum ; et si eis deficient alique res, suis electuariis vel syrupis, conficiendis illis cum consilio medici vel medicorum mittant unam rem pro alia, in suis electuariis vel syrupis. Et quod speciatores non faciant societatem cum medicis nec teneant suos denarios ut inde recipiant aliquam partem, nec accipiant ab eis servicium quicquid nec blandas, nisi essent de cibo vel potu. Et quod dicti speciatores non vendant alicui homini medicinam aliquam sine consilio medici vel medicorum ; et quod dicti speciatores jurent quod omnia supra dicta attendant. Et qui contra fecerit in trecentis solidis puniatur.

138. — *De medicis.*

Item, statuimus quod omnes medici Arelatis jurent quod caute et curiose videant infirmos quos receperint in cura seu potestate sua et quod per egritudinem exigere possint ab aliquo secundum quod convenerint. Et si infirmus recidivaverit vel recoliaverit infra quindecim dies, medicus teneatur ipsum videre pro primo pacto sibi facto ab infirmo vel amicis infirmi. Et nullus medicus extraneus qui veniat in hac villa operari de fisica vel cirologia non possit operari in hac villa nisi primitus fuerit per unum fisicum vel unum chirurgum examinatus. Et omnes medici qui facient decoctiones vel medicinas, quicumque sint, necessarie viderint ut accusentur ; non separet se medicus de operatorio speciatoris quousque electa et dispensata fuerint ea que necessarie fuerint in decoctione vel medicina. Et nullus medicus faciat syrupum neque electuarium neque medicinam aliquam in domo sua, nisi esset in operatorio speciatoris vel infirmi ; et omnis medicus qui contra fecerit in centum solidis puniatur.

139. — *De bonis communis.*

Item, statuimus quod neque consules Arelatis, neque judices, neque clavarii, neque subclavarii, neque aliquis curialis possit vel possint aliquod debitum incartare vel libellum facere super bona communis seu commune, nisi de voluntate totius consilii vel majoris partis ejusdem consilii ad sonum campane more solito congregati.

140. — *De navibus transfretandis.*

Item, statuimus quod consules Arelatis teneantur exigere et habere ab illis, qui naves vel navem habebunt in Arelate vel ejus tenemento,

causa transfretandi peregrinos ultra mare, fidejussores bonos et ydoneos, vel pignora ydonea ut dicti domini navis vel navium transferant vel tranferri faciant peregrinos suos, prout eisdem peregrinis convenerint dicti domini navis vel navium, bona fide et pro singulis navibus; et quod marinarii eorumdem tractent peregrinos et res eorum custodiant bona fide; et pro singulis navibus afferant vel afferri faciant unam balistam cornu optimam de torno communi Arelatis, in reditu cujuslibet navis.

Verum si non rediret vel non redirent naves, ut consuetum est, consules exigant et recipiant a fidejussoribus vel de pignoribus habeant tantum unde emant et emi possit unam balistam cornu optimam de torno ad opus communis Arelatis; et quod nullus dominus navis vel alius pro eo possit vel debeat tenere tabulam in Arelate nec ponere in Arelate vel ejus tenemento. Et tenementum comprehendimus Arelatis, quoad hoc statutum, totum illud quod est ab Arelate usque ad portum de Boco et etiam ipsum portum. Et si cives Arelatis haberent navem vel naves paratas vel paratam transfretandi, causa portandi peregrinos, possit primo onerari de peregrinis antequam naves hominum extraneorum possint nec debeant recipere peregrinos in Arelate vel districtu Arelatis, et quod nullus cargator possit recipere aliquem peregrinum ad sua victualia.

141. — *De albergis barreiatis.*

Item, statuimus quod si aliquod albergum alicujus civis Arelatis sit infra Arelatem, vel ejus tenemento fuerit barreiatum, nisi de mandato curie Arelatis totum illud quod ex eo extrahetur in illo barreiamento, de bonis communis restituatur dampnum passo; addentes quod credatur sacramento passi dampnum de eis que amiserit in barreiamento; et barreiatores puniantur corporaliter, si capi poterint per consules Arelatis, et nihilominus bona illorum barreiatorum dissipentur. Si tamen capi non poterint, in perpetuum bannum Arelatis et ejus districtus ponantur. Verum si barreiamentum non fecerint, sed facere attemptaverint, puniantur arbitrio consulum Arelatis.

142. — *De possessionibus emptis.*

Item, statuimus quod quicumque ement possessiones aliquas vel domicilia sive census qui sint in Arelate vel ejusdem civitatis tenemento, facere teneantur pro communi Arelatis omnia ea que venditor vel venditores facere tenentur vel etiam tenebantur.

143. — *Quod curiales non operentur in palatio communis.*

Item, statuimus quod consules nec aliqui curiales possint operari vel facere operari in palatio communis, nisi de voluntate et consensu consilii ad sonum campane more solito advocati.

144. — *De lignis.*

Item, statuimus quod si aliquod lignum vel ligna fuerit vel fuerint in gradu et steterit vel steterint ad stricam vel ad morandam de passono propter ventum contrarium, quod nauta vel naute illorum lignorum teneantur mittere barcham vel barchas suas cum marinariis in subsidium ligni vel lignorum qui intrare voluerint infra gradum, et quilibet de marinariis, qui ad mandatum naute vel nautarum ire noluerint, in viginti solidis pro qualibet vice puniantur. Et hoc idem dicimus de omnibus portibus marinis qui sunt in tenemento Arelatis.

145. — *De Plano Roquete.*

Item, statuimus quod Planum, sicut protenditur a barrio communis usque ad ortum Jacaris, et ab ecclesia et domo fratrum minorum, et ab orto Guillelmi de Juqueriis usque in Rodanum, sit dictum planum perpetuo patuum communis; et quod planum de milicia sit patuum ejusdem communis a portali majori civitatis usque ad portale quod jungitur domibus dominorum militie.

146. — *Quod nullus judeus vel judea dominicis diebus nec festivis operetur.*

Item statuimus quod nullus judeus vel judea operetur diebus dominicis et festivis opus aliquod, ostiis apertis, nec diebus colentibus, ita quod videri possint. Et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur pro qualibet vice.

147. — *Quod nullus recipiat extraneum in domo sua causa faciendi rixam.*

Item, statuimus quod nullus Arelatis sit ausus recipere in domo sua aliquem extraneum qui veniat causa faciendi rixam seu pelegiam in Arelate. Quod quicumque invenerit aliquem extraneum armatum

causa faciendi rixam seu pelegiam in Arelate, impune possit eum quilibet offendere in rebus suis omnibus et in persona. Et qui eum receperit arbitrio consulum Arelatis puniatur.

148. — *De hiis qui cesserint bonis.*

Item, statuimus quod quicumque cesserit bonis ponatur in banno Arelatis, et reddire non possit in Arelatem donec satisfecerit illi vel illis pro quibus fuerit in banno, nisi bannitio fuerit remissa a creditoribus vel a creditore.

149. — *De redditibus pontis Rodani.*

Item, statuimus quod omnes illi qui tenent vel tenebunt redditus pontis Rodani teneantur reddere rationem de tribus in tribus mensibus, consulibus Arelatis de debitis et expensis.

150. — *De franquesia quam dedit comes Provincie.*

Item, statuimus quod qui pro tempore preerint consulatui Arelatis teneantur petere et requirere a comite Provincie quod ipse comes servet et attendat illam franquesiam quam dedit Raymundus Berengarius, quondam comes, communi Arelatis et civibus, sicut in instrumento de ipsa donatione continetur, salvo jure domini archiepiscopi.

151. — *De robina de Bello loco.*

Item, statuimus quod robina de Bello loco curetur in latitudine que modo est vel fuit incepta curari a porta orti Guillelmi Ruffi, que porta est in robina ipsa usque ad robinam burgi per dominos quorum sunt honores ab utraque parte contigui dicte robine; ita quod per ipsam robinam navigii onerati possint intrare libere et exire sine impedimento.

152. — *De viis assignatis per robinas.*

Item, statuimus quod in robinis omnibus de Camargiis et de toto districtu Arelatis, per quas transeunt vie publice que per dictas robinas sunt trossate, domini, quorum sunt dicte robine, teneantur facere et faciant, sub pena viginti solidorum, pontes in locis in quibus transeunt vie publice que sunt trossate, ita quod per predictos pontes, homines et animalia commode transire possint.

153. — *Quod extraneus non piscetur in aquis Arelatis.*

Item, statuimus quod nullus extraneus possit vel audeat piscari in aquis Arelatis sine parabola dominorum quorum sunt aque, excepto stagno de *Vaccares.*

Statuentes etiam quod nullus sit ausus facere solem in aquis communis Arelatis, vel tenementi Arelatis, nisi sit mercenarius alicujus civis Arelatis qui locat se ad denarios.

154. — *De nuntiis locandis in festo sancti Andree.*

Item, statuimus quod illi qui conducent de cetero aliquem vel aliquos mercenarios vel mercenarium ad annum, quod illos conducant a festo Sancti Andree usque ad aliud festum Sancti Andree; singulis annis, illum vel illos recipiant et sicuti consuevit in retro temporibus illos recipi in festo Sancti Michaëlis, et quod de cetero recipiantur in festo Sancti Andree, illum vel illos recipiant, et sic singulis annis quia tunc solvantur merces vel mercedes eorum.

Et idem dicimus de furneriis et posteriis; et quod omnes nuncii, qui modo sunt locati ad festum Sancti Michaëlis vel alium terminum, teneantur stare usque ad festum Sancti Andree, ad rationem mercedis quam modo debeant recipere. Ab hoc statuto excipimus pastores ovium; et quilibet mercenarius teneatur se locare et stare sub hac forma, in banno quinque solidorum; et domini teneantur mercenarios sub hac forma, in pena quinque solidorum, recipere. Et in hoc contineri volumus omnes mercenarios qui ad annum starent cum domibus religiosis; et quod hoc denuntient consules domibus religiosis.

155. — *De pelheriis et inquantatoribus.*

Item, statuimus quod omnes pelherii et inquantatores Arelatis jurent in curia Arelatis quod bene et fideliter vendant et encantent omnes res que sibi tradite fuerint ipsis ad encantandum vel vendendum.

156. — *De condempnatis.*

Item, statuimus quod quicumque fuerit condempnatus condempnationes suas excusare seu compensare possit de debito quod commune ipsi condempnato vel alicui amico ipsius condemnati deberet. Statuentes quod consules non possint neque debeant contradicere compensationi

seu excusationi predicte, nec cogere dictum condempnatum ad solvendam dictam condempnationem, si condempnatus paratus esset se excusare vel compensare suam condempnationem pro suo debito vel pro debito amici ipsius condempnati.

157. — *De libellis et instrumentis.*

Item, statuimus quod nullus teneatur reddere libellum a centum solidis infra pro aliquo debito vel pro aliqua causa vel aliqua querimonia quod vel que peterentur seu moverentur contra aliquem vel aliquos cives Arelatis. A centum solidis vero supra, quilibet civis possit petere libellum, si velit. Et idem dicimus de omni debito de quo extat instrumentum vel libellus preceptorius, quod non possit peti libellus.

158. — *De actionibus non ponendis.*

Item, statuimus quod nullus civis Arelatis teneatur ponere actionem in aliquo libello; nec consules, nec judex, nec aliquis possit aliquem vel aliquos cives compellere actionem ponendi in aliquo libello; et quod valeant omnes libelli qui traditi fuerint sine actione ut si esset posita melior actio que possit in omnibus curiis Arelatis; cetera tamen sue petitionis in libello exprimere teneatur.

159. — *De ponte faciendo in braceria Cape.*

Item, statuimus quod consules Arelatis qui in proximo erunt in regimine Arelatis, ex quo creati fuerint, per quindecim dies sacramento teneantur eligere tres probos homines qui possessiones habeant infra braceriam cape; qui juvare possint constitutioni et edificationi pontis lapidei dicte brasserie; qui ydonei et curiosi sint, ita quod non sit verisimile dictum opus negligentie habere; qui ex communis autoritate possint tallatam facere super omnibus possessionibus que infra dictam brasseriam erunt, quarum possessionum domini vel possessores teneantur et cogantur ad quod eis erit in dictum statutum per dictos tres a curia solvere, tempore ab eis statuto, supra plura quam illi nolunt injungere; et quod illi emant jus quod Bertrandus Porcelleti et alii habent in transitu pontis dicte brasserie. Brasseriam autem Cape dicimus et ejus fines intelligimus que utrumque clauditur Rodano et Mari.

160. — *Quod brasseria Cape curetur.*

Item, statuimus quod brasseria Cape curetur et reficiatur eodem tempore quo supra statutum est in constructione pontis, cui refectioni et curationi tres boni viri electi per consules presint dicte refectioni; et sumptus qui necessarii linquent in curatione dicte brasserie de bonis communis solvantur.

161. — *Quod consules recipiant libellos preceptorios.*

Item, statuimus quod consules Arelatis recipiant omnes libellos precéptorios a conquerentibus, et satisfieri faciant creditoribus secundum eorum libellos, si forte de jure non vellent contradicere debitores; et tunc veniant coram judicibus vel aliquo eorum; et quod constituantur duo notarii qui stent cum consulibus ad recipiendum libellos et injurias scribendas et audiendas, et quod illi duo notarii vel alter eorum teneant sigillum cupreum communis.

Addentes quod illi duo notarii vel alter eorum teneantur facere omnes litteras que fient a curia tam pro se quam pro quolibet et pro aliis et de illis que fient pro communi.

162. — *De fronteria in riperia Rodani plantanda.*

Item, statuimus quod si aliquis habet fronteriam in riperia Arelatis, ubicumque sit, et voluerit eam plantare, levatarii illius territorii teneantur dare, si commode fieri poterit, cum consilio militum et proborum virorum illorum territoriorum ubi fieri debent dicte plantate, medietatem lignorum que necesse fuerint ad plantandum, per duas cannas mensuradas a pede vallati levatarum versus Rodanum, et quod plantata tota, quantum est sua fronteria, sit illius cujus est fronteria.

163. — *De rixa civium.*

Item, statuimus quod pro aliqua rixa que consistat in verbis sive factis, dummodo sanguis non exeat, et amicabilis compositio sive transactio inter rixantes intervenerit, consules Arelatis, occasione rixe seu rixarum, in nullo condempnent rixantes vel aliquem de rixantibus.

164. — *Quod bestie domorum religiosarum et extraneorum non pascent in Cravo.*

Item, statuimus quod bestie hospitalis milicie et aliorum domorum religiosarum, exceptis domibus domini archiepiscopi et canonicorum Arelatis, non pascent in pascuis de Cravo, scilicet a colla de Rua usque ad hospitale de Olla citra, a festo Sancti Michaëlis usque ad mediam quadragesimam; et idem dicimus de omnibus bestiis extraneorum hominum; et si dicte bestie invenirentur in pascuis Arelatis, quilibet Arelatis possit eas inde expellere autoritate propria et sine pena curie prestanda.

165. — *De pignoratione extraneorum.*

Item, statuimus quod si aliquis extraneus civem Arelatis pignoraverit, quod eodem modo civis Arelatis, autoritate propria, extraneum valeat pignorare, sine pena curie Arelatis.

166. — *Quod nullus invadat possessionem alienam.*

Item, statuimus quod nullus invadat possessionem rei immobilis alicujus, sua autoritate. Quod si fecerit, solvat centum solidos pro pena, et dicta possessio restituatur ei cujus primo fuerat; et quod amplius non audeat experiri occasione dicte invasionis.

167. — *De sabbateriis.*

Item; statuimus quod sabbaterii pro solandis sabbatis grossis nunciorum civium Arelatis tres denarios tantum accipiant et pro solandis parvis sabbatis duos denarios.

168. — *De possessionibus non acquirendis per domos religiosas.*

Item, statuimus quod aliqua domus religiosa de cetero non possit acquirere in toto tenemento Arelatis aliquam possessionem per emptionem, donationem, legatum relictum, vel alio quoque modo; et si data vel relicta esset ei aliqua possessio, teneatur eam vendere infra duos menses.

169. — *De vino vel racemis non mittendis in Arelatem.*

Item, statuimus quod nullus civis Arelatis mittat vinum in Arelatem, vel racemos ad vinum faciendum, nisi illud haberet de vineis propriis.

170. — Item, *de vino vel racemis non mittendis.*

Item, statuimus quod nullus extraneus mittat vel afferat vinum vel racemos ad faciendum vinum in Arelatem nullo modo.

171. — *De gabella vini.*

Item, statuimus quod quilibet Arelatis solvat communi pro singulis modiis vini quod vendet duodecim denarios.

172. — *De abeuratoriis.*

Item, statuimus quod curia faciat aperire abeuratoria olim constructa de mandato curie Arelatis in Cravo et aliis territoriis Arelatis, et quod faciat fieri unum abeuratorium ad stagnum de Peluca et alibi ubi fuerit necesse.

173. — *De accusationibus.*

Item, statuimus quod curia non recipiat aliquem ad accusandum aliquem alium de aliqua injuria publica vel privata, nisi publice accusationem vel denunciationem predictam faciat, eo presente vel presentibus eis quem vel quos denunciat vel accusat et questionem habeat aliquam partem in condempnatione si qua fieret ad dictam accusationem vel denunciationem.

174. — *De revenditoribus piscium.*

Item, statuimus quod nullus civis Arelatis vel extraneus revenditor piscium audeat emere pisces extra muros Arelatis; et qui contra fecerit in viginti solidis puniatur, et pisces quos emerit amittat; quorum viginti solidorum et piscium medietas sit curie et alia medietas illius qui significaverit curie.

175. — *Quod curiales non recipiant munera.*

Item, statuimus quod neque consules, neque judices, neque aliqui

officiales curie accipiant aliqua munera vel exennia ab aliquo cive vel extraneo, preter esculetum et poculentum.

176. — *De facheriis terrarum.*

Item, statuimus quod facherii et alii qui tenent rem aliquam a dominis, teneantur facere dominis copiam transcribendorum instrumentorum a quibus tenent res predictas, et vice versa domini facheriis qui tenent predictas res pro eisdem facere teneantur.

177. — *De instrumentis dominorum et emphiteotarum faciendis.*

Item, statuimus quod si dominus non habeat instrumentum rei que sub eo tenetur, fiat ei recognitio instrumento et in instrumento; et versa vice dominus teneatur facere recognitionem instrumento et etiam instrumentum ei qui pro eo aliquam rem teneret.

178. — *Quod nullus tractet transferre senhoriam Arelatis.*

Item, statuimus quod nullus audeat tractare palam vel privatim quod Arelas veniat in potestatem alicujus domini vel senioriam perpetuo vel ad tempus. Quod si fecerit, bona ejus omnia destruantur; et si capi potest, caput ejus amputetur; et si capi non poterit in perpetuum bannum Arelatis ponatur, de quo banno numquam possit extrahi per consules, vel per consilium Arelatis, vel etiam per totum parlamentum Arelatis.

179. — *De redditibus pontis Rodani.*

Item, statuimus quod redditus canne olei et eminorum sint pontis Rodani, et quod nulli alii operi deputentur.

180. — *De eminis communis.*

Item, statuimus quod quicumque bladum in Arelate vendiderit vel ejus territorio, mensuret illud ad eminam communis, et commune accipiat in singulis sestariis annone, siliginis et cicerum, fabbarum et lentium, et gaysarum unum denarium; et de singulis sestariis ordei et avene et milii unum obolum; et commune habeat triginta eminas ferratas et signo communis signatas, cum quibus mensurentur blada empta et vendita, scilicet decem in burgo, et in civitate viginti; et in

areis et domibus quisque possit habere eminam suam legalem et signatam signo communis ad opus levandi bladum de arcis et mensurandi molegiam suam et semen et mercedem familie sue, et ad onerandum bladum dictum in lignis. Et quod emine et canne olei incantentur quolibet anno tempore solito.

181. — *De gabella vini et robinarum.*

Item, statuimus quod redditus gabelle vini et robinarum que sunt communis Arelatis et inclausure et quod subbastentur.

182. — *De carnibus salsatis.*

Item, statuimus quod carnes salsate porcorum vendantur ad libram et ad pondus quintalis. Et qui contra fecerit in decem solidis puniatur, et preterea carnes venditas amittat.

183. — *De nundinis Sancte Crucis.*

Item, statuimus quod nundine que proximo anno preterito fuerunt facte in festo Penthecostes fiant deinceps in vigilia inventionis Sancte Crucis, intrante madio, et quod fiat super hoc preconisatio per unum mensem priusquam advenerit dictum festum.

184. — *De locationibus domorum.*

Item, statuimus quod, sicut solitum est locationes fieri domorum de Sancto Michaële in unum annum, sic de cetero fiat de festo Penthecostes in annum. Si quis in hoc statutum negligeret vel non servaret, quod pensionem domus vel domorum amittat, et quod de locatione facta in hoc anno prorata temporis detrahatur de pensione a festo Penthecostes usque ad festum Sancti Michaëlis.

185. — *De saorra lignorum.*

Item, statuimus quod saorra lignorum omnium et barcharum projiciatur juxta murum novum burgi, prout vicinius poterit, a portali domine Blandine Audeberte usque ad portale R. nigri. Si quis autem alibi projicerit in viginti solidis puniatur, quorum medietas sit communis et alia accusantis.

Item, statuimus quod quicumque saorrim projicerit in gradibus vel

a gradibus infra vel extra per duo milliaria, in decem libris puniatur, quorum medietas accusanti attribuatur.

186. — *De piscatoribus.*

Item, statuimus quod nullus piscator audeat piscari in paludibus cum retibus *Alausar* (1) a Paschate usque ad exitum Augusti, sub pena viginti solidorum quorum medietas sit accusantis.

187. — *De levata nova facienda.*

Item, statuimus quod, si propter levatam de novo faciendam vel veterem necessario reficiendam, contingat capi terram alicujusque speciei, estimatio dampni illius quod inferetur illi cujus esset illa terra, occasione dicte levate, restituatur dampnum passo de bonis levatariorum, arbitrio proborum virorum per curiam ad hoc statutorum.

188. — *De impedimentis viarum pontis Rodani.*

Item, statuimus quod omnia impedimenta vie que sunt a capite pontis Rodani usque ad portum civitatis removeantur; et quod quisque dimittat tertiam partem fronterie pro justa, a capite pontis usque ad dictum portum civitatis. Et idem intelligimus de impedimentis que sunt a dicto ponte usque ad domum *Tirasse.*

189. — *De statutis veteribus delendis.*

Item, statuimus quod nullus liber statutorum habeatur ab aliquo labellione sive cive Arelatis, nec aliquod predictorum statutorum preteritorum allegetur, preterquam iste et statuta que in isto libro continentur, et in exemplariis de juratis ab isto authentico; imo deleantur penitus et crementur.

190. — *De non advocando pro extraneo contra civem.*

Item, statuimus quod nullus advocatus audeat advocare pro extraneo contra civem; et eos cives intelligimus qui juraverint vel jurabunt consulibus.

---

(1) Filets pour pêcher les aloses.

191. — *De denario Dei.*

Item, statuimus quod denarius Dei, qui daretur in contractibus, in honore Dei et candele beati Trophimi distribuatur.

192. —

Item, statuimus quod Johannes Alvernatius, qui interfuit correctioni statutorum, habeat pro salario quinquaginta solidos, quod intersit compilationi horum statutorum cum redigentur in novo cartulario.

193. — *De sacramento Judeorum.*

Item, statuimus quod si judeus causam habeat cum christiano vel contra christianum, vel etiam testimonium ferat contra christianum, teneatur jurare sub hac forma.

Juras tu per Deum patrem Adonay?
Respondet judeus : Juro.
Juras tu per Deum patrem omnipotentem qui dixit : *Ego sum qui sum?*
R. Juro.
Juras tu per Deum omnipotentem Sabaoth ?
R. Juro.
Juras tu per Deum Eloy?
R. Juro.
Juras tu per Deum qui apparuit Moysi in rubo?
R. Juro.
Juras tu per decem nomina Dei et sexcenta mandata et per hec nomina Dei?
R. Juro.
Juras tu per totam istam legem quam Deus docuit Moysen famulum suum?
R. Juro.
Juras tu, si tu culpabilis es de hac re, et nomina Dei et legem ejus perjuras, mittat Deus super te turbam et febrem cotidianam et tercianam et quartanam; et mittat Deus super te defectum oculorum tuorum et angustiam anime tue?
Respondet judeus : Amen.

Lucrum tuum comedant innimici tui, et mittat Deus super te iram suam; et deficias ante innimicos tuos; et habeant super te innimici tui potestatem, et fugias, nemine te sequente.

R. Amen.

Si perjuras Dei sacramenta, frangat Deus vires tuas et potentiam tuam; ponat Deus devastationem in domo tua, et mittat Deus super te bestias feroces, et ponat te Deus inter innimicos tuos.

R. Amen.

Adducat super te Deus gladium vindicantem vindictam, et adducat super te pestillentiam, et tollat a te omnem sustentationem panis; et comedas et non sacieris.

R. Amen.

Item, si te perjuras de hoc sacramento, comedas carnem filiorum tuorum, destruhat Deus cadaver tuum, et super corpora infantium tuorum adducat Deus mortalitatem pessimam.

R. Amen.

Donet Deus domum tuam in deserto, et destruat Deus sanctuarium tuum, et deleat te de terra viventium, et innimici tui habitent in domo tua, et dispergat te Deus super terram, et nemo recipiat te.

R. Amen.

Sequatur te gladius mortalitatis, et mittat Deus molestiam et terrorem in corde tuo ut fugias ad modum foliorum arborum, ac si gladius insequeretur te.

R. Amen.

Sis dispersus inter gentes, et moriaris in terra innimicorum tuorum; et sic te absorbeat terra sicut absorbuit Datham et Abiron, et etiam deglutivit.

R. Amen.

Et sic lepra apprehendat te, sicut apprehendit Naamam Sirum.

R. Amen.

Et si tu de hoc sacramento te perjuras, declinet Deus cor tuum iniquum et pessimum, et veniant super caput tuum omnia peccata tua et parentum tuorum, et omnes maledictiones que in volumine legis Moysi et prophetarum scripte sunt.

R. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat.

STATUTS MUNICIPAUX

DE LA

VILLE DE SALON.

(1293.)

In nomine Domini nostri Jesus-Christi, amen.

Anno a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo sexagesimo quinto et die prima mensis januarii, reverendo in Christo patre et domino domino Guillelmo dei gratia sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopo et principe præsidente et domino Castri Salonis existente; ex hujus publici instrumenti tenore pateat universis quod cum de mandato curiæ Salonis facta fuerit præconisatio, prout hactenus est fieri consuetum in loco Salonis, per Rostagnum Sabateri præconem publicum dictæ curiæ Salonis, quæ in effectu continebat quod omnis persona cujuscumque conditionis existat quæ voluerit audire legere seu publicari statuta municipalia dictæ curiæ et castri Salonis quæ singulis annis, hac presente die, sunt publicari consueta, quod hac præsente die quæ est festum Circumcisionis Domini, post prandium veniret in dicta curia, ibidem publicationem dictorum statutorum auditura, cujusquidem præconisationis tenor inferius est insertus. Hinc est quod, hac presente die, existentes in curia Salonis nobiles et circumspecti viri dominus Joannes Issautarii bacalarius in legibus, judex Salonis, Joannes de Chamayraco Vice officialis Arelatensis diocesis et clavarius Salonis et Gaucherius Cavalerii domicellus, locum tenens nobilis Joannis Deluii vicarii Salonis, in dicta curia Salonis pro tribunali sedentibus; præsente etiam ibidem magno populo ad prædicta ut suprà dictum est voce præconis congregato, de mandato dictorum dominorum officialium et in eorum præsentia ac etiam in præsentia et audientia dictarum personarum ibidem præsentium, dicta statuta municipalia Salonis de verbo ad verbum lecta et publicata fuerunt in lingua materna per me notarium infrà scriptum, quorum quidem statutorum series sive tenor inferiùs est insertus; tenor verò dictæ

præconisationis de qua suprà mentio habetur talis est. Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto et die prima mensis januarii venerabilis et circonspectus vir dominus Jóannes Issautarii bacalarius in legibus, judex Salonis, et nobilis Gauchérius Cavalerii locum tenens vicarii Salonis, attendentes quod hactenus est consuetum in loco Salonis hac die præsenti statuta municipalia Salonis legere et publicare, præceperunt et in mandatis dederunt Rostagno Sabateri servienti et præconi publico, præsenti et intelligenti, quatenus per locum Salonis et loca ad hæc consueta more solito voce tubæ præconiset et præconisationem faciat. Infrà scriptum mandamentum est domini nostri Arelatensis archiepiscopi, domini castri Salonis, et sui vicarii, quod omnis persona cujuscumque conditionis existat quæ velit audire legere seu publicari statuta municipalia curiæ Salonis, quod hac die præsente post prandium veniat in curia Salonis, publicationem dictorum statutorum auditura; qui quidem præco iens et paulo post rediens retulit mihi notario infrà scripto se per locum Salonis et loca ad hæc consueta, more solito, voce tubæ, dictam præconisationem fecisse prout suprà habuit in mandatis quæ scripsi ego Hugo de Auronis notarius dictæ curiæ, et tenor verò dictorum statutorum sequitur et est talis.

In nomine Domini, amen. Formavit Deus hominem rectum, ipse verò infinitis se miscuit questionibus undè propter hominum malitiam factum est ut plura sint negotia quam vòcabula; Deus verò bonus existens et omnis boni retributor a quo longe relegata est invidia, omnia sciens et unicuique quod confert providens, quidquid utile nobis est revelavit, primo scribens jus naturale in corde humano; secundo ab ipso nobis data est lex per Moysem et alios prophetas; demum successit evangelica doctrina et apostolica quam nobis divinitus traditam suscepimus; veneramur ipsi quippe, tenemur humiliter obedire, nil ultrà labere inquirentes, firmiter corde credendo et ore fideliter confitendo singula quæ in eis scripta sunt, captivantes intellectus nostros in obsequium Jesus-Christi. Sed quia humana natura prona est in malum ab adolescentia sua, hujus modi jura inventa sunt, ut per ea hominum coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia; quapropter in nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, nos Rostagnus divina miseratione sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus antiqua statuta terræ nostræ, deliberatione provida cum pluribusque prudentibus viris examinantes, maxime attendentes quod secundum varietatem temporum statutaque variare

oportet humana, de consilio et benè placito sindicorum ad hæc ab universitate castri nostri Salonis more solito specialiter electorum, scilicet Bertrandi de Fayssis, Jacobi Crotæ, Guillelmi Raymundi macellarii et Pontii Agnedæ et ipsorum consiliariorum specialiter per dictam universitatem electorum, videlicet Jacobi Bastoni, Bertrandi de Bariolis militum, Guillelmi Bastoni, Bertrandi Fornerii domicellorum, Petri Bermundi de Condamina Salonis, Petri Gonsalini, Joannis de Claramonte, Gilli Vaquerii, Petri Attonis, Philippi Ruffi et Gervasii Curaterii, ipsa statuta innovavimus, aliqua de novo statuentes, nonnulla etiam temperantes et modificantes, sicut vidimus et probavimus statui pro ipso tempore nostræ et curiæ convenire.

In primis si quidem, statuimus quod quicumque voluerit esse habitator vel mansionarius vel inquilinus castri Salonis, infra octo dies postquam venerit in castro Salonis ut sit mantionarius, habitator, vel inquilinus, juret fidelitatem nobis archiepiscopo et faciat homagium si præsentes sumus, pro nobis et nostris successoribus et ecclesiâ Arelatensi recipientibus; si verò præsentes non sumus, juret fidelitatem vel homagium faciat in manu nostri vicarii recipientis pro nobis et ecclesia Arelatensi et tertiam partem bonorum suorum mobilium in castro Salonis infra sex menses in possessionibus ponere teneatur; et quandocumque præsentes erimus, in nostris manibus renovet suprà dicta, si fuerit requisitus; alioquin pro mantionario, habitatore vel inquilino non habeatur et nihilominus ab eo nostra curia centum solidos habeat pro pœna.

Item, statuimus quod si aliquis miles vel probus homo vel mulier de castro Salonis maritaverit filiam suam et postea filia dotata vel ejus heredes velint exigere frayresiam a parentibus seu fratre vel fratribus, in hereditate paterna vel materna, non audiantur a curia nostra; et si voluerit vel voluerint conferre dotem sorores vel eorum heredes non possint exigere frayresiam a parentibus, fratre vel fratribus, etiam in hereditatibus paterna vel materna; nec audiantur a curia nostra, etiam si voluerint conferre dotem.

Item, statuimus de fratribus, si sine fraude maritaverint et dotaverint sororem et sorores, quod posteà sorores vel eorum heredes non possint exigere frayresiam a fratre vel fratribus, etiamsi voluerint conferre dotem vel dotes; hoc autem locum habere volumus et dicimus, si mulieres constitutis sibi dotibus contentæ fuerint et juraverint

se super rebus paternis aut maternis constitutionem aliquam patribus aut matribus seu fratribus vel aliis non moturas; hoc autem prædictis dicimus non nocere feminis maritatis a patre vel a matre, a fratre vel a fratribus, si quando vel mater, frater vel fratres decesserint ab intestato et absque legitima sui corporis prole.

Nullus homo de castro Salonis pignoret, sine authoritate, aliquem hominem de eodem castro vel extraneum, per se nec per alios, vel aliter offendat nisi priùs requisita et habita licentia a curia nostra, nec ei prosit aliqua renunciatio facta a fidejussore sive debitore; et si contravenerint, puniantur arbitrio curiæ nostræ; si verò extranei erga homines nostros se habuerint aliter quam erga se ipsos, quod ipsi extranei in ipsis hominibus servaverint, illud in quantùm juste possumus promittimus observari.

Nullus homo de castro Salonis accipiat in fidejussorem nec in solutorem aliquem alium de eodem castro, pro extraneo, ultra summam viginti quinque solidorum coronatorum; et si enim acceperit ultra summam prædictam, non teneatur ei fidejussor nec solutor nisi tantum in dictis viginti quinque solidis; nec prosit ei aliqua renuntiatio facta a fidejussore nec a solutore. Nullum reputamus extraneum qui sit de jurisdictione nostra, videlicet de Salone, de Granis, de Cornilione, de Sancto-Amantio, de Alinico, de Auronis, de Sancto-Mitrio, de Castro-Veteri, de Vaqueriis, de Sancto-Martino, de Palude majore; nec aliquis de castro Salonis conqueratur de fidejussore nec de solutore habitatore ejusdem castri, dummodo inveniat principalem debitorem solvendo et intelligatur tantum de illis fidejussoribus et debitoribus qui sunt de jurisdictione nostra, quantumcumque renuntiaverit fidejussor seu solutor, et particulares sive fidejussores non possit creditor eligere, unum ita quod tantum ab illo petat, sed a quolibet pro ut solvendo fuerit et habeat pro solido et libra quantum ad facultates cujuslibet, licet quilibet obligaverit se in solidum.

Item, statuimus quod si aliquis per definitivam sententiam lucratus fuerit causam suam, in partem vel in totum, pro ea parte pro qua obtinebit nihil solvat de lata et pro ea qua victus fuerit solvat; si verò totum obtinebit, exeat liber et absolutus et sine exhibitione lata a curia nostra. Idem intelligimus si super aliquibus causis a judice vel vicario nostro seu amicabilis compositio facta fuerit inter partes; scilicet quod qui per amicabilem compositionem lucratus fuerit causam in solidum, similiter liber exeat a curia et qui victus fuerit lite contestata per sen-

tentiam vel compositionem amicabilem, octodecim denarios de lata pro singulis libris nostræ curiæ solvere teneatur.

Item, statuimus quod quicumque habeat servitia censualia seu Tascas seu Cartonos seu venationes seu aliquas alias censas infra castrum Salonis vel extrà, in ejusdem castri territorio, et voluerit eas vendere seu aliquo modo perpetuo alienare, ille qui facit servitium seu censum seu censas seu venationes omnibus aliis emptoribus per illud vel illas emere præferatur; præcipientes districtiùs quod nullus fraudem committat in venditione prædictorum, sed revera possessoribus significet pro quanto pretio vendidit suprà dicta; et si quis in fraudem vel deceptionem possessorum aliquid fecerit, pretium augmentando, pro singulis libris totius pretii rei venditæ, in quinque solidos puniatur; adjicientes propterea quod super dicto pretio tam a vendente quam emente juramentum exigatur ne veritas per eorum alterum valeat occultari; et si post juramentum præstitum, de perjurio emptor vel venditor convicti fuerint communiter, in prædicta pœna quinque solidorum pro libra et nihilominus in viginti solidos coronatos pro perjurio puniatur: adjicientes et volentes insuper quod emphiteota seu possessores prædicti censales, tascas vel venationes hujus modi infra duos dies a tempore denuntiationis eis factæ in curia nostra per vicarium vel judicem, aut valeant ipsa emere volentibus aut procurent quo vendentur pretio retinere et pretium hujusmodi infra dictos duos dies solvere teneantur.

Item, statuimus quod et quando aliquis pro culpa sua a curia nostra punitus fuerit, non præsumat aliquis improperare illi culpam pro qua punitus fuerit; et si quis verò statuti hujus transgressor fuerit, puniatur in quinque solidos coronatos, vel aliter arbitrio curiæ, si solvendo non fuerit, puniatur.

Item, statuimus quod nullus trahat infra castrum Salonis cum arcu vel cum balista nec cum arcu bodecorio; et si in hoc fuerit, puniatur in duobus solidis aut in sex denariis: et hoc idem de ecclesia Sancti Michaelis et Sancti Laurentii volumus observari.

Item, statuimus quod nullus trahat cum funda vel telo seu arcu saggitario infra castrum Salonis et extrà prope mœnia per tractum balistæ. Qui contrarium fecerit sex denarios pro pœna solvere teneatur et damnum, si quod dederit, restituat ipsum passo.

Panatarii non lucrentur in sextario nisi tantùm quatuor denarios et sursus transgredientes puniantur in duobus solidis et sex denariis; et si panem benè coqui non fecerint, panem amittant; nec panatarii moveant se de locis suis pro pane vendendo et longiùs porrigendo; et quotiens se moverint, dent tres denarios pro pœna. Eamdem pœnam incurrant qua denarios abstulerunt pueris volentibus emere panem; si verò fornerius in culpa fuerit, quominus panis benè coctus fuerit, estimationem panis curiæ solvat pro pœna et nihilominus restituat damnum passo.

Item, statuimus quod nullus Judeus, meretrix vel leprosus, panem, pisces, carnes seu fructus quoscumque tangere præsumat nisi solum ea quæ emerit. Vendentes autem prædicta vel aliquid eorum, si contrarium patientur fieri, in sex denarios puniantur, et ementes quæ tetigerunt emere compellantur.

Mensuram bladi vel vini nullus teneat ad vendendum cum ea, nisi talem qualis fuerit in curia nostra et cum sigillo curiæ consignata.

Bannum bladi non extrahatur cuicumque statutum fuerit. Si quis fregit, bladum perdat; si verò, nomine alicujus extranei vel pro ipso, aliquis de castro Salonis hoc fregerit, bladum perdat et in decem solidos puniatur pro qualibet saumata.

Molendinarii nisi sextam decimam tantum partem, ratione molturæ, non accipiant.

Bannum cuniculorum si quis fregerit, triginta solidos dabit, et si de die vel de nocte cum canibus vel furone venando in deffenso inventus fuerit, bannum fregisse judicetur, nisi in eo deffenso sit via publica per quam repertus fuerit iter agens; et qui pro furto cuniculorum condemnatus per curiam nostram fuerit, nullo tempore audeat tenere furonem; et si contrà fecerit, in viginti solidos puniatur.

Furonem nullus tenere audeat nisi tempore venationis; et si hoc fecerit, decem solidos dabit pro pœna, nisi a nostra curia habita licentia et obtenta.

Item, nullus adducat extraneum venatorem, in tempore venationis, in castro Salonis, cum furone; et quicumque contrà fecerit in quinque solidos puniatur.

Cannam et libram et cartale olei et eyminam et scandalum vini et alias mensuras nullus teneat nisi illa quæ nostra curia habuerit vel assignaverit; et si hoc fecerit, decem solidos dabit pro pœna et

remaneat aculeus in canna et omnes staturæ habeant brachia ruta.

Si quis arbores fructiferas vel alias non suas transplantaverit, excoriaverit vel inciderit, absque licentia et voluntate illius cujus sint, quinque solidos dabit domino illarum arborum, pro una quaque arbore; et pro uno quoque maliolo cum colligitur in aliena vinea dabit unum denarium domino cujus est vinea, et insuper dabit pœnam et emendam, curiæ nostræ arbitrio. Si verò arbor ille cujus est plus valere dixerit et si talis curiæ verisimile sit, debeat credi ille quod ipse juraverit et restituatur.

Prætereà statuimus ne aliquis putator vel fossor vinearum vites vel socas sive corgonas seu alia ligna de vineis alienis exportare non præsumat sine licentia dominorum ipsarum vinearum, nec vindemiatores tempore vindemiarum racemos de vineis alienis; qui verò contrarium fecerit sex denarios pro pœna solvere teneatur.

Oves et boves et equi et asini et porci nullo tempore in vineas alienas intrabunt; et, si hoc fecerint, damnum resarcire debebunt et bannum dabunt, exceptis animalibus oneriferis ad opus vineæ adductis.

Item, statuimus quod nullus, cancererando cum animalibus suis, nec ipse cancererator, non audeat ire per blada; quicumque contrarium fecerit, pro pœna sex denarios solvere teneatur.

Si quis per barrios ingressus fuerit, vel exierit, vel indè se vel aliquid de nocte projecerit, voluntate furandi, puniatur indè arbitrio curiæ.

Si tempore messium quis, de nocte, gerbas furatus fuerit, furtum emendabit domino cujus erunt et justicia erit in arbitrio curiæ; si verò de die, justicia sit sex denarios pro qualibet gerba in glenatoribus et de aliis sit in arbitrio curiæ, damno tamen primitus restituto. Adjicientes quod nullus glenator intret stipulam alicujus, occasione glanandi, etiam de voluntate ipsius domini cujus fuerit stipula, donec garbia fuerint congregata; si quis verò contrà fecerit, tam concedens quam glenator, in duobus solidis puniatur: et donec glenatores præsentes causa glenandi per stipulam transierint, nullus animalia in dicta stipula mittere præsumat.

Si quis pondus vel mensuram scienter et malitiosè falsaverit vel falsato seu falsata per alium usus fuerit, ex certa scientia, vel dolose, centum solidos coronatos pœnæ nomine curiæ nostræ solvere teneatur; et adhuc graviùs si judici nostro videbitur puniendus; ipsum verò pondus seu mensura falsa de mandato curiæ publicè comburatur.

Si quis rapinam, furtum vel injuriam fecerit, vel aliquem vulneraverit et confregerit et venire noluerit, arbitrio curiæ puniatur de principali, si liquidum fuerit, et nihilominus de contumelia condemnetur.

Si quis vicinum suum cum extraneo prodiderit, vendiderit, vel capi fecerit et ipse exterminetur et omnia bona sua confiscentur; si verò rem vicini sui capi fecerit, rem et interesse vicino suo restituat et alias arbitrio curiæ puniatur.

Si quis furtum vel aliud maleficium per alium sive non proximum, sive proximum, ultra gradum tertium consanguinitatis, perpetratum etiam scienter, et requisitus in specie vel genere per curiam nostram, in termino ab ipsa curia præfixo, cessante justo impedimento, ipsum delinquentem nostræ curiæ revelare neglexerit, vel a delinquente pro ipso celando vel non revelando mercedem vel mercedis provisionem acceperit, pari dispendio facultatum seu pœnæ pecuniariæ cui delinquens subjacere debuerat, subjaceri condemnetur.

Si quis malefactum vel furtum prescierit et curiæ revelaverit, de malefacto de die habeat quartam partem, in justicia quam indè nostra curia habebit; quam revelationem statuimus a curia nostra minimè revelari.

Nullus herbas accipiat, nec damnum det in hortis alienis, nec accipiat racemos in alienis vineis, nec accipiat fructus de alienis arboribus; et si hoc fecerit, det pro banno duos solidos et sex denarios de die, et de nocte quinque solidos, et nihilominus restituat malefactum.

Et qui hoc revelaverit, habeat medietatem banni et curia aliam, et quicumque intraverit in alienis vineis viridariis seu hortis, cum banneriis, det bannum: quod bannum bannerii ibidem præsentes solvere teneantur.

Item, statuimus quod quicumque collegerit fructus in alienis arboribus sine licentia et voluntate illius vel illorum quorum sunt arbores, pro quolibet pomo, ficu, amigdalo, nuce vel racemo, vel quolibet alio fructu quem ceperit, det pro banno sex denarios usque ad decem fructus et postmodum quantumcumque collegerit, pro singulis fructibus, sex denarios solvere teneatur, de quibus habeat curia nostra medietatem et ipse cujus fuerint fructus aliam habeat medietatem.

Item, statuimus quod nullus audeat rapugare racemos, citra octavas

festi sancti Michaelis, in alienis vineis, nec ficus in alieno colligere, citra festum Omnium Sanctorum, nec reglenare olivas citra festum beati Andreæ in olivariis alienis et qui tunc reglenaverit cum baculis, virgis vel lapidibus non audeat reglenare; qui verò contrarium fecerit, duodecim denarios pro pœna solvere teneatur.

Si vir et uxor, communi consensu, vendiderint vel pignori obligaverint aut in accapitum tradiderint seu permutaverint, sive alio quolibet modo alienaverint res dotales et uxor sponte non coacta venditionem seu pignus seu accapitum vel permutationem seu aliam quamcumque alienationem rerum dotalium corporaliter juraverit, statuimus quod tales alienationes rata sint et firmæ in perpetuum; et si uxor vel ejus hæredes contravenerint, non audiantur a curia nostra. Idem et eodem modo statuimus de bonis mariti.

De debito et de re alia cognita nihil habeat curia nostra, si ejus servetur mandatum; sed si ejus non servetur mandatum, in die assignata, habeat inde curia nostra a transgressore quantum est decima pars debiti vel rei cognitæ, ex quo mandamentum ipsius debiti, vel aliud instrumentum pœnam decimi homine curiæ stipulatum continens ad manum venerit judicantis, et lectum fuerit, vel alterius qui curiam nostram regere dignoscatur.

Quicumque de gachia vel de supergatchia mandatus fuerit per mandatum curiæ et ea non fecerit, ad cognitionem vicarii vel illius cui vicarius committet, dabit duodecim denarios nomine pœnæ.

Qui de Bada mandatus fuerit, per mandamentum curiæ, et ea non fecerit, ad requisitionem vicarii, dabit pro pœna duos solidos et denarios sex.

Quicumque ierit per carreirias post pulsationem campanæ nocturnæ, sine lumine, dabit duos solidos et sex denarios nisi ex justa causa et rationabili se valeat excusare.

Item, statuimus quod omnis emptio et venditio rata sit et firma perpetuo, si facta fuerit cum denario dei juridico et recepto, et ille denarius sit operis ecclesiæ beati Laurentii.

Item, statuimus quod nullus extraneus qui non maneat in castro Salonis permanenter per decennium, teneat tutelam, curam vel emendam honoris vel possessiones alicujus de Salone.

Præterea, statuimus quod tutores et curatores quicumque, cum bona mobilia vel fructus liberorum quorum tutores vel curatores existunt

vendere voluerint, ipsa ad Inquantum et non alias vendere teneantur, et pretium cujuslibet rei venditæ per notarium scribi faciant, dum vendentur, ne contra dictos minores possit aliqua fraus machinari, et pretium dictarum rerum et emptorum nomina in suo carticulario scribere teneatur. Tutores et curatores, si contrarium fecerint, in quinquaginta solidos penæ nomine puniantur.

Item, ad evitandas fraudes multorum, statuimus, quotiescumque rem immobilem minorum vel aliorum contingit in castro Salonis publice subhastari, quod illi qui ad Inquantum exire voluerint, seu plus offere in ipsa re, quod ad notarium super hoc per nostram curiam deputatum accedant et ei significent quantum plus dare vel offerre volunt, in re hujus modi inquantata, et notarius nomine plus offerentis scribat quantitatem plus offere volentis, ipso nec inquantatori seu alteri revelando; et quod singulis diebus subhastator publicus notario deputato super hoc se debeat personaliter presentare et inquirere cum eo si aliquis in ipsâ re plus obtulerit subhastata.

Item, statuimus quod nullus castri Salonis emat seu immitat vinum in Salone de vineis sitis extra territorium castri Salonis; quicumque vero racemis indigerint, ex suis vineis non habentes fructus qui sibi et domi suæ sufficiant, sive sint divites sive pauperes, ipsi et non alii ad usum suum et domus suæ duntaxat libere racemos emere valeant a quocumque; quicumque contrarium fecerit vel fraudem aliquam in præmissis commiserit, in centum solidos puniatur et racemos amittat.

Item, statuimus ut nullus in castro Salonis vinum vendat per se vel per alium nisi de vino quod proveniet de vineis territorii Salonis; quod si contra fecerit vel fraudem aliquam commiserit contra prædicta, curia nostra capiat pro pœna ipsum vinum et nihilominus in centum solidos pro singulis saumatis puniatur et quicumque accusaverit medietatem recipiat dictæ pœnæ et curia aliam; dicto accusatore per dictam curiam minime revelando.

Item, statuimus quod nullum Avere seu animal, postquam a curia nostra fuerit prohibitum per præconem aut clamorem, transeat terminos constitutos; et si hoc fecerit, dominus animalium sive Averis decem solidos pro pœna dabit.

Item, statuimus ut nullus de castro Salonis emat aliquid ab aliquo

homine suspecto vel male casso, sive ille fuerit extraneus, sive de castro; quod si fecerit, estimationem rei emptæ pro pœna persolvet et rem emptam nostra curia capiat et vero domino restituat.

Cum pro aliqua possessione census certo termino debetur domino a quo tenetur vel a quo habetur ipsa possessio, si census solutus non fuerit a possessore, termino constituto, statuimus ipsum censum restitui triplicatum a possessore, et ita videlicet de domino census duplicatum censum recipiat et usque ad quantitatem census curia nostra habeat pro pœna, postquam dominus curiæ nostræ conquestus fuerit de canone non soluto.

Statuentes quod quantumcumque tempore emphiteota vel possessor alius in solutione pensionis vel canonis cessaverit, quod res pro quibus census vel pensio præstatur hujus modi, propter lapsum temporis et solutionem retardatam canonis non incidant in commissum, sed emphiteota vel alius possessor ad pœnam expressam superius teneatur; quod autem dictum est, quod per lapsum biennium et triennium res non cadat in commissum; extendi nolumus extra territorium castri Salonis vel de Granis.

Item, statuimus quod nullus, quando solvendo fuerit, possit rem emphiteoticariam dimittere vel alias fraudulenter alienare contra domini voluntatem.

Item, super trezenis et laudimiis sic duximus statuendum quod quandocumque aliquis vendiderit, permutaverit, vel in solutum dederit bona immobilia vel libera quæ a nobis tenentur sub certa pensione in castro Salonis vel ejus territorio et aliis castris nostris et eorum territoriis, quod curia nostra tres solidos recipiat pro libra totius pretii, si in re vendita a trezeno et laudimio aliquis se deffendat; si vero inter contrahentes sit actum quod emptor venditori francum pretium tradat, tunc curia nostra habeat tres solidos et quatuor denarios pro libra; cum autem bona immobilia vendentur, aut permutata vel in solutum data fuerint, quæ ab aliis præterquam a nobis tenentur sub annua pensione, tunc medietatem totius trezeni et laudimii curiam nostram habere volumus et dominum a quo dictæ res venditæ permutatæ vel in solutum datæ tenentur aliam medietatem recipere volumus, prout hactenus extitit observatum; et si dominus, jure prælationis, retinere voluerit rem venditam pretio quo vendetur, venditor decem et octo denarios pro libra totius pretii det curiæ nostræ

pro laudimio, et ipse dominus a trezenis sit immunis. Hoc autem statutum ad militares personas extendi nolumus quoniam ex antiqua consuetudine trezenum integrum est et laudimium de bonis quæ ab eis tenentur, sicut nostræ curiæ recipere sunt consuetæ; et si dictæ personæ vendiderint, permutaverint, vel in solutum dederint bona sua immobilia, emptor de ipsis bonis quicumque fuerit octodecim denarios pro libra totius pretii nostræ curiæ solvere teneatur, et venditor sit immunis; si vero aliqua popularis persona rem quam habuerit liberam et francam in emphiteosim seu accapitum perpetuum alteri dare voluerit, emphiteota seu accaptor det decem octo denarios pro libra totius accapiti nostræ curiæ supradictæ; si autem militaris persona fuerit, quoniam hactenus trezena et laudimia integraliter recipere consuevit, bona sua libera in emphiteosim seu accapitum dederit, tunc nostra curia nihil recipiat pro eisdem : hoc autem statutum extendi nolumus, si castra nobis subdita vel pars eorum vendantur, permutentur, vel in solutum dentur a vassallis nostris, in quo casu trezenum curiam nostram recipere volumus, sicut hactenus consuevit.

Item, statuimus quod quicumque de castro Salonis habeat chartam vel instrumentum sive notam alicujus debiti, quod illud debitum reformet et instrumentum renovet, vel debitum deferat in curia nostra infra quinquennium, præsente altera parte; et si hoc non fecerit, non audiatur postea de dicto debito, in curia nostra, et illud instrumentum debiti nullius postea sit valoris : statuentes etiam, ut multorum creditorum malitia refrenetur, quod nec ratione juramenti debitor post dictum tempus quinquennium, in nostra curia civili vel ecclesiastica valeat conveniri a prædictis; excipimus debita dotalia et legata in testamento relicta.

Item, statuimus quod nemo faciat resclausam alicubi, in valatis paludis, nec in Todobra, a molendino de Brænassio usque ad pontem *Codolos;* inferius vero quicumque fecerit resclausam, usque ad molendinum *Dalcolop*, postquam possessionem suam adaquaverit ipsam resclausam derivare teneatur; et quicumque hoc statutum fregerit det duos solidos et sex denarios, penæ nomine, quoties fregerit; et quicumque dictæ curiæ revelaverit habeat medietatem dictæ penæ.

Item, statuimus quod porcus det pro banno unum denarium, aries

obolum, ovis piecam, equæ tres denarios; bos, asinus et mulus quilibet duos denarios.

Item, statuimus quod quæcumque mulier dimiserit virum suum non habitet infra muros castri Salonis, nec extra in suburbiis; quod de mulieribus statuimus de hominibus idem præcipimus observari.

Item, statuimus quod quicumque inventus fuerit in adulterio cum muliere maritata vel altera et constiterit nostræ curiæ, ambo current vel dent quinquaginta solidos, uterque; vicarius vero et officiales curiæ non solum solvant quinquaginta solidos sed a suis officiis excludentur et salarium ipsius anni amittant; et quicumque celaverit aliquem de prædictis, eadem pena puniatur.

Item, statuimus quod infra territorium castri Salonis nullus præsumat mittere ignem in ferraginibus nec agris longinquis, sine licentia curiæ, ante festum beatæ Mariæ de Augusto; hoc autem intelligimus de Garrigiis. Qui contra fecerit in decem solidos puniatur; si vero ignis damnum dederit, qui ignem apposuit damnum resarciat passo damnum et penam solvat nihilominus supradictam.

Item, statuimus ut, ad clamorem badæ curiæ clamantis, ad arma unusquisque de castro, tam miles quam probus homo, vel juvenis, exeat munitus armis quæ habet usque ad barreriam ubi erit banneria, et nemo sit ausus transire banneriam, nisi de licentia vicarii; et quicumque cum armis non exierit, si miles fuerit, solvat quinque solidos nomine penæ, et quilibet alius solvat duos solidos et sex denarios, nisi causa justa vel rationabili fuerint impediti.

Item, statuimus ut nullus teneatur offerre libellum a viginti solidis coronatis inferius, nisi debitum excedat summam viginti solidorum coronatorum; si vero debitum excedat summam viginti solidorum coronatorum, et vellet primo solum viginti petere et postea viginti vel plus vel minus, non audiatur nisi offerat libellum.

Item, statuimus quod quicumque in curia nostra dejuravit, solvat viginti solidos pro pena; qui autem debitum aliquod termini tempore per juramentum solvere promisit et tempore convento pecuniam prout promisit non solvit, cum hoc curiæ nostræ per querelam creditoris

constitit, quinque solidos coronatos pro pena solvat; nisi per manifestam impotentiam excusetur.

Item, statuimus ne quis seu aliqui pro causa propria vel aliena præsumant ad curiam venire nisi cum sex sociis tantummodo vel paucioribus, nisi de licentia curiæ nostræ; et quod ipsi socii sint tales qui appareant et videantur idonei et facientes ad ipsam causam; et qui contra fecerit puniatur unusquisque veniens in quinquaginta solidos coronatos.

Fummum vel aliquod sordidum nullus in carreriis vel ambarriis ponat; et si hoc fecerit quinque solidos dabit pro justitia et insuper fummus ad terras nostras portabitur; invalitis tamen hoc fieri sit permissum, ita tamen quod murum ambarrii non tangat nec prope portalia castri, per quindecim cannas, talia sordida quisque ponat: et si hoc fecerit in quinque solidos puniatur.

Item, statuimus ut nullus homo sive mulier de Salone, minor viginti quinque annis, non habens patrem vel matrem, accipiat uxorem vel maritum, sine licentia sex ex propinquioribus generis sui quos curiæ duxerit eligendos, et sine licentia nostra quando erimus in Archiepiscopatu nostro vel extra, remoti a castro Salonis per duas leucas; et si nos essemus extra archiepiscopatum nostrum vel remoti ut supra, non præsumant hoc facere sine licentia vicarii et judicis Salonis, si præsentes fuerint; et tunc etiam dicti officiales nostri duos aut tres probos viros, supra dicto matrimonio consulere teneantur, qui non sint de parentella dictorum contrahere volentium; et quicumque contra hoc statutum venire præsumpserit, tam minor quam qui cum minore contraxerit, medietatem omnium eorum quæ a nobis tenet amittat et curiæ nostræ confiscentur, et omnes illi qui talis matrimonii tractatui interfuerint arbitrio nostræ curiæ puniantur: hoc autem statutum in illis personis matrimonio copulandis extendi volumus quarum facultates valuerint quinquaginta libras et ultra.

Item, statuimus quod quilibet de castro Salonis postquam tenuerit per annum et mensem pignora ducibilia et portabilia sibi obligata et tradita, quod elapsis anno et mense liceat ei vendere dicta pignora, cum licentia curiæ nostræ, publice ad Inquantum.

Item, statuimus quod nullus teneat instrumentum, chartam seu aliquod mandamentum, postquam debito contento in eis fuerit satisfactum; qui vero prædicta vel aliquid prædictorum retinuerit in viginti solidos puniatur.

Item, statuimus quod quicumque in rixa traxerit cultellum, licet de illo non percusserit, det triginta solidos pro pena curiæ nostræ, nisi probaverit quod se deffendendo hoc fecerit.

Item, statuimus qud si arbor pendeat in terra vel vinea alicujus cujus non sit arbor et ob hoc noceat, admoneatur dominus arboris ut abscidat ramos sive brancas nocentes arboris pendentis in terra vel vinea supra dicta, per quatuordecim pedes, et si hoc facere noluerit liceat domino terræ vel vineæ cui nocet abscidere prædictas brancas et sint suæ, et postea liceat domino arboris cujus rami nocentes sunt abscissi fructus cadentes in alterius vinea vel terra colligere in eadem terra vel vinea per triduum, sine impedimento illius cujus est terra vel vinea.

Statuentes etiam quod si de arbore vicina in possessione vicini fructus vento vel alias per seipsum ceciderint, quod dominus possessionis illius cujus non est arbor et ejus familia de dictis fructibus comedere possint, si voluerint, sine banno.

Item, statuimus quod quando aliquis maritabit filiam suam homini extraneo, non liceat ei dare in dotem terras neque vineas neque aliquem honorem de tenemento castri Salonis, sine licentia curiæ nostræ; sed domum vel domos possit ei dare et nemo audeat vendere vel dare in accapitum seu in pignore vel alio modo alienare honorem suum homini extraneo, absque licentia curiæ, et hoc statutum volumus observari per totam jurisdictionem nostram, videlicet in castro Alvernici et in castro Auronis et castro Granorum et in castro sancti Amantii et de Cornilione et de Jonqueriis, sancti Mitri et Castri veteris.

Macellarii nullam carnem infirmam vel a judeis occisam vendant ullo modo, ex certa scientia sua, infra castrum vel extra; nec vendant quærenti carnes veri motonis vel porci carnes ovinas vel suillas, ni prius clare et intelligibiliter certificaverint volentes emere quod carnes illæ sunt ovinæ vel suillæ, nec interficiant seu scorgent animalia sua

in carreriis publicis, nec infra macellum, nec teneant sanguinem, nec budellatos super tabulas suas, ad vendendum, sed infra domos suas in occulto; nec inflent renes agnorum nec hædorum nec mutonum nec ovium ponendo aliquid subtus renes, nec ipsa animalia inflent per flatum vel alià fraude quàcumque; nec fundant pinguedinem alicujus animalis super ancas ut pinguiores vel grossiores appareant. Aquas de quibus lavant sanguinem carnium suarum non projiciant in vico macelli, nec in carreria publica. Neminem decipiant mentiendo, vel vendant unam carnem pro alia; sed veritatem dicant de omnibus carnibus suis, vel tales vendant omnibus hominibus quales ab eis requiruntur. Si habent transgressores, puniantur in decem solidis et nihilominus carnes amittant, quotiens fregerint vel aliquid prædictorum; et ad hoc firmiter observandum omnes macellarii per sacramentum astringantur.

Item, statuimus quod nemo adaquet, in hieme, a festo beati Michaelis usque ad festum Paschatis, arbores vel vineas de aqua fontis de Albis nec de aqua Talagarni: a festo vero Paschatis usque ad festum beati Michaelis possit quilibet adaquare de prædictis aquis hortos, arbores, viridaria, et alia consueta, de licentia adaquatorum, quos ordinari ad adaquandum annuatim volumus per curiam nostram ad præsentationem et requisitionem proborum castri Salonis habentium possessiones qui adaquare debent de aquis prædictis; et quicumque prædicta fregerit dabit duos solidos et sex denarios pro pena, quotiens fregerit supra dicta.

Item, statuimus quod nullus de aqua Todobræ possit adaquare in hieme nec æstate, nisi tamen a vesperis sabbati usque ad diem lunæ, usquè ad ortum solis; qui verò contrarium fecerit prædictam penam solvere teneatur.

Item, statuimus ne aliquis famulus stans cum domino pro mercede audeat ludere ad taxillos vel eysaquetos, de die vel de nocte, infra villam vel extrà; et si luserit de die, det duos solidos et sex denarios curiæ nostræ pro pena: si de nocte, det quinque solidos; et qui tales ludentes in domo suâ recolligerit, det decem solidos; et illi qui ludentes ad taxillos vel eysaquetos et illos qui recolligerint ludentes curiæ revelaverint habeant medietatem penæ et curia aliam.

Item, ad evitandas multas inordinatas et superfluas expensas quæ

sicut audivimus per nostros factæ fuerunt hactenus subditos, statuimus ut quod quicumque maritaverit filiam suam vel aliam quamlibet mulierem in potestate suâ vel regimine constitutam et ultrâ summam sexaginta librarum eidem in dotem non assignaverit, indumenta de parceto rubeo dictæ sponsæ facere vel proinittere non præsumat, nec aliquid in fraudem contra hujus modi ordinata, nec pannum dare varium; qui vero contrarium fecerit centum solidos coronatos nomine penæ nostræ curiæ solvere teneatur.

Item, statuimus quod bannerii sint annales et annis singulis commutentur et denuntient fideliter omnes tallas et malefactas eis vel eorum familiæ in quorum bonis factæ fuerunt tallæ et malefactæ, et hoc infra decem dies vel ante, cum per eos fuerint requisiti; volentes etiam quod singulis septimanis visitent finales lapides dividentes territorium castri Salonis et quod nullo tempore secum canes ducant *nisi tempore venationis;* et diebus singulis in aurora exeant vel citra de castro Salonis, pro bannario officio exercendo, et ad castrum Salonis non redeant citra pulsationem campanæ, nisi evidens eos necessitas excusaret, nec fructus afferant alienos; volentes quod ad præmissa omnia et singula, sacramentis præstitis astringantur et quotiescumque inventi fuerint dejurasse in prædictis decem solidos coronatos solvent pro pena.

Statuimus præterea quod si alicui damnum, talla vel malefacta illatum fuerit seu illata, in vineis, arboribus, bladis, viridariis, hortis seu al is possessionibus quibuscumque, et dominus dictarum possessionum personas vel animalia malefactam vel tallam facientia in possessionibus suis invenerit, stetur juramento domini inventoris, si bonæ famæ fuerit, dicens se dictos malefactores invenisse in suo et postmodum extimatores juratos ducat ad dictam tallam ut extiment dictum damnum, quodquidem damnum, tallam, sive malefactam malefactores restituant damnum passis et mercedem extimatoribus et bannum solvant etiam consuetum; in quo quidem banno damnum passi medietatem percipiant pro labore.

Item, statuimus quod si aliquæ personæ, propter inopiam vel malitiam sive fraudem creditorum suorum, bonis suis cesserint in curia nostra, quod, in loco in cujus curiæ dicta cessio facta fuerit, nudi in camisia et bracciis, nullum velamen in capite seu facie portantes,

cedentes bonis sine fustigatione aliqua, præcone precedente, cum tuba currere teneantur et quod præco præconiset quod nullus de castro contrahat aliquatenus cum eisdem. Nolumus tamen quod si minores, occasione debitorum paternorum, vel maternorum, bonis suis cesserint, ad præmissam penam sint adstricti, sed solum ad ea quæ de jure communi creditoribus competunt astringantur.

Item, statuimus quod quicumque decem animalia et extra pascentia habuerit, quod unum ex ipsis animalibus unam sonalham ad collum appertam defferat et sonantem; si vero viginti habuerit, duas sonalhas; et sic per dezennas, usque ad centum; et si plura animalia habuerit, plures sonalhas habere minime teneatur. Qui vero contra fecerit, in quinque solidos puniatur.

Item, statuimus quod nullus de castro Salonis pisces emat, causa revendendi, ab extraneo qui apportaverit ipsos pisces, causa vendendi minute ibidem, ante horam meridianam; et qui contra fecerit, in quinque solidos puniatur. Idem de fructibus præcipimus observari.

Item, statuimus quod quicumque creatus fuerit notarius noster, vel creabitur in futurum, ad dimittendum notas seu protocolla omnia quæ receperit in castro Salonis vel alibi, infra jurisdictionem nostram ubi habitaverit, si recedere voluerit, curiæ nostræ vel alicui notario, de licentia ipsius curiæ dimittere teneatur; et ad hoc quilibet notarius in sui creatione, juramento proprio, astringatur; et si contra fecerit, in centum solidos puniatur.

Item, statuimus quod nullus immittat animalia sua in alienam stipulam, quamdiu garbæ fuerint in eadem, nec aliquis, in prejudicium usus publici, garbas suas in suam stipulam, ultra tempus solitum d'mittere audeat seu tenere; statuentes etiam quod nullus concedere audeat immittere animalia in stipula sua nisi prius curiam nostram de concessione hujus modi certioraverit et nomina illorum quibus concessit duxerit exprimenda; qui vero contra fecerit, in quinque solidos puniatur.

Item, statuimus quod animalia aliena extranea infra territorium castri Salonis, causa pascendi, nullo tempore immittantur; et si aliquis extraneus animalia sua immiserit, bannum duplicatum solvere teneatur, exceptis pastoribus commorantibus cum hominibus de Salone vel de

Granis, et exceptis aliis gardianis vaccarum seu equarum : Qui pastores triginta animalia ovina et gardiani vaccarum et equarum quatuor animalia in territorio Salonis pascere consueverunt; qui autem animalia extranea, exceptis prædictis, invenerit, medietatem banni habeat et curia nostra aliam medietatem.

Item, statuimus quod nullus teneat seu immitat, causa pascendi, animalia caprina in territorio Salonis nisi teneat ad stacam, et quicumque contra fecerit, pro singulis vicibus in quinquaginta solidos puniatur; et nihilominus, si quod damnum ipsa animalia dederint, immitens restituere teneatur.

Item, ad evitanda multa pericula quæ evenire possent, sicut audivimus statuimus quod nullus commatri suæ vel filiolo nec alteri personæ, in fraudem presentis statuti, infra annum a tempore baptisati filioli, audeat dare aliquid seu dari facere præter camisiam filioli atque albam cum qua fuerit baptisatus, nisi commater esset pauper et inops cui pietatis intuitu vellet commater aliquid errogare; nec maritus cum uxor missam post partum audierit, ipsa die nec post infra octo dies, aliquos vicinos suos ad convivium, nisi solum compatrem et commatrem et eorum familiam, si eos habere voluerit, audeat invitare; nec aliqua encenia mittere vicinis nisi pauperibus; qui vero contrarium fecerit, viginti quinque solidos pro pena curiæ nostræ solvere teneatur.

Item, statuimus quod nullus mercedem seu loquerium alicujus mercenarii a nocte usque ad mane retinere præsumat; si quis vero contrarium fecerit, contradicente mercenario, duplum pro pena curiæ nostræ solvere teneatur. De mercenariis autem annualibus sic ordinamus, quod qui infra octo dies, eisdem post annum finitum de mercede seu loquerio, contra dominum querellam nostræ curiæ exposuerit, damna data et expensas dicto nuntio restituat, nisi causam justam habuerit retinendi et nihilominus curiæ nostræ pro pena, quinque solidos solvere teneatur.

Item, statuimus quod nulla mulier nobilis vel plebeia, seu alia quæcumque, in capite seu indumentis aurum seu argentum seu perlas, fermallos, rosetas, nec stacas dauratas seu argentatas, deinceps portare præsumat, nisi garlandam, usque ad valorem triginta solidorum coronatorum; si qua vero mulier contrarium fecerit, aurum, argentum,

fermallos, rosetas, stacas et res quas portaverit amittat et fisco nostro applicentur; et nihilominus mariti earum vel parentes in quibus potestate fuerunt, in quinquaginta solidos puniantur.

Item, statuimus quod nuntii nostri curiæ Salonis, pro singulis citationibus faciendis, infra mænia castri, et extra per medium miliare, habeant unum denarium et pro pignoribus faciendis duos denarios et pro clavandis hospitiis totidem; si vero extra territorium castri Salonis, pro aliqua embaysata inierint, pro singulis leucis habeant sex denarios, usque ad quatuor leucas; ultra autem quatuor lencas ad arbitrium judicis, persolvantur. Si vero aliquem de mandato curiæ in possessionem alicujus rei immobilis miserit, quatuor denarios recipiant infra castrum, et extra sex denarios, pro labore; pro arrestatione autem alicujus rei mobilis, ad instantiam alterius facta, habeant unum denarium et non ultra, et pro dearrestatione habeant totidem.

Item, statuimus quod si aliquis condemnatus in curia nostra aliquem vel aliquos habuerit creditores, quod antequam curia condemnationem exigat de bonis condemnati creditori seu creditoribus suis primo integrabiliter satisfiat.

Item, statuimus quod quicumque fecerit contra statuta, ubi pena non continetur expressa, totiens arbitrio curiæ puniatur quotiens fecerit contra statutum; et, si in aliquo statuto pena expressa est apposita, totiens puniatur quotiens contra statuta fecerit, quia iniquum et absurdum esset si tantum puniretur ille qui tantum semel fecit contra statutum quantum ille qui pluries contra statutum delinquit.

Item, statuimus quod officiales nostræ curiæ, in principio sui regiminis seu administrationis, jurent statuta Salonis fideliter observare et quod non contraveniant ex certa scientia nec in fraudem.

Item, statuimus ut prædicta statuta singulis annis, in die Circumcisionis Domini, legantur in publico parlamento, ne per ignorantiam ulterius se possint aliqui excusare; si tamen per negligentiam curialium aliquando lecta non fuerint, nihilominus semper plenam obtineant roboris firmitatem.

Postremò, quia quædam statuta per prædecessores nostros hactenus facta nimium rigida videbantur et nostris subditis offerre poterant pre-

judicium et gravamen et secundum varietatem temporum humana statuta debent variare; idcirco, omnia alia statuta quæcumque sint et qualiacumque olim per predecessores nostros edita cassamus, irritamus, et penitus ex certa scientia revocamus; istis solum statutis et ordinationibus nostris, contentis in hoc præsenti, valorem habentibus in judiciis et extra vim legum municipalium et omnem aliam plenariam firmitatem; præcipientes ipsa prout ordinata sunt inviolabiliter observari; retinentibus tamen nobis plenariam potestatem interpretandi et declarandi dicta statuta, si aliquod obscurum in eis vel ambiguum in posterum oriatur.

Edita sive facta fuerunt prædicta statuta in archiepiscopali palatio castri Salonis, in camera dicti domini archiepiscopi, sindicis et consiliariis prædictis præsentibus, in præsentia et testimonio domini Hugonis de Granis, Arelatensis canonici; domini Guillelmi Ebrardi, judicis castri Salonis; domini Guillelmi Sabaterii, prioris castri de Granis; domini Berengarii Bovis, domini Joannis Borserii, præsbiteri; domini Hugonis Isnardi, prioris Sancti Petri de Mejanis; et mei Guillelmi Corvi, præsentis castri Salonis et totius regaliæ beati Trophimi notarii, qui authoritate et mandato præfati domini archiepiscopi, ad requisitionem sindicorum prædictorum præfata statuta, ut supra leguntur seu continentur, scripsi et de ipsis statutis et tenore ipsorum per me ipsum Guillelmum notarium petierunt sibi, nomine suo et universitatis castri Salonis, prædicti, fieri publicum et publica instrumenta; *anno* Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio; scilicet octavo idus maii. De qua quidem lectione et publicatione ac tenore dictorum statutorum, dictus nobilis gaucherius Cavalerii, locum tenens dicti domini vicarii Salonis, nomine et pro parte dictæ curiæ Salonis petiit et requisivit sibi fieri publicum instrumentum, per me notarium, infra scriptum, et ibidem existentes et personaliter constituti Joannes Raymundi, de Salone, sindicario nomine, ut dixit, hominum de Salone et pontius Burgundionis de Salone, nomine universitatis hominum de Salone, ac etiam propriis nominibus eorumdem et singularium personarum de Salone, tam ibidem præsentium quam etiam absentium, qui de prædicta præconisatione facta, ad convocandum gentes, ad audiendum publicationem dictorum statutorum, ac ipsius tenorem, nec non et de publicatione, lectione et toto tenore dictorum statutorum ac etiam de omnibus actis et superius actitatis petierunt et requisiverunt eis dictis hominibus fieri, unum vel plura

publicum et publica instrumenta, tam per me Hugonem de Auronis notarium publicum infra scriptum quam etiam per magistrum Jacobum Duranti, notarium de Salone, ibidem præsentem facta, lecta, et publicata fuerunt dicta municipalia statuta et acta; et sic gesta fuerunt omnia supra dicta, in curia publica Salonis ubi consuetum est jura reddi, anno, die, mense et loco prædictis, præsentibus testibus venerabili viro domino Guillelmo de Pennis, vicario ecclesiarum Salonis; domino Joanne Theobaldi, præsbistero Regiensis diæcesis; magistris Jacobo Duranti, Joanne Asteril, notariis de Salone; Guillelmo de Amenfordia, clerico Tornacensis diœcesis; cum multis aliis et me Hugone de Auronis, clerico civitatis Arelatensis, publico authoritate imperiali notario, qui in prædictis omnibus et singulis dum sic agerentur, una cum prænominatis testibus præsens fui et de illis notam recepi, et hoc præsens publicum instrumentum in istis tribus pellibus simul gludatis et ad invicem junctis, manu mea propria scripsi, et signo meo solito signavi, in fidem et testimonium omnium præmissorum rogatus et requisitus.

COUTUME DE BOURGOGNE.

COUSTUMES ET STILLES GARDEZ

OU DUCHIE DE BOURGOINGNE.

(1270-1360.)

De dottibus.

1. La femme, son mari mort, prent pour douhaire la moitié de leritage de son mari duquel il estait tenanz et possidans ou temps de son trespassement, ou cas ou son dit mari ne li fit douhaire diuis; car, en ce cas elle prenra le douhaire diuis, se tant nestoit quil ne surmontast pas la moitie des biens de son dit mari; car entant comme li dis douhaire diuis surmonteroit, la dite femme ny prendera riens par douhaire (1).

2. *Item*, la femme, le mari mort, puet requerir que son douhaire lui soit diuis; et li hoirs de son mari sont tenus de faire la diuision, et elle prendra; ou elle sera tenue de faire la dite diuision, et ils prendront. Et ou cas que li hoirs ne vouldront faire la diuision, ne prendre la partie de leur diuision que la femme aura faite, dedeans certain terme mis du juge, elle pourra eslire et retenir laquelle partie quelle vouldra desdites parties quelle aura faites.

3. *Item*, la femme prent son dohaire tout franc, sans paier aucune chose des debtes de son mari (2), se elle ne sentremet de mobles; et

(1) Se leritage estoit de fie, il samble, selon rayeson, que la femme nen sera pas dohee.

(2) Et santant des debtes dehues pour une fois, non mie de rantes annuelles; et se li maris estoit dohez de la femme, il tiendroit son douhaire franchement.

se elle se desscinct sur la fosse de son dit mari, elle renunce à tous mobles et acquestz et ne emporte que son douhaire tant seulement.

4. *Item*, la femme survivant son mari demoure douhe si comme deuant est dit, a sa vie tant seulement, de la moictie des heritaiges de son mari desquels il estoit tenans et possidans ou temps de son trespassement : cest assauoir ou cas ou elle naura eu douhaire diuis et celle moictie elle emporte sur les enffans de son mari, saucuns en ont, ou sur les heritaiges dicellui; et sil aduient que li maris ait eues pluseurs femmes et dicelles ait pluseurs enffans, et de sa derreniere nait aucuns enffans, apres le deceps de lui elle sera et demourra dohee et emportera pour son douhaire la moictie de tous ses biens desquels il estoit saisis ou temps de sa mort. Et sil aduient quil ait enffans de sa derreniere femme, iceulx enffans de la derreniere femme viendront egaument a leschoitte de leur père, auec les enffans des premieres femmes, et sera partie la succession du pere entre tous les enffans des dictes femmes par branches et non par testes (1). Car autant emporteront les enffans de lune des femmes comme de lautre. Et en ce cas ouquel il aura enffans de la derreniere femme, celle derreniere femme prendera son douhaire sur ses enffans tant seulement : cest assauoir la moictie de tous les biens que tous ses enffans en auront parti a leur partaige des biens de leur dict pere. Et se li maris avoit fait douhaire deuis de plus de la moictie de ses biens, le douhaire ne vault, mais sera restrains et rapportes en la maniere que deuant est dit.

5. *Item*, la femme ne puet aliener ne mettre en autrui main son douhaire, sans le consentement des heritiers; et se elle le fait, les dits heritiers y pueent assigner.

6. *Item*, se li peres marie son filz et promet dohaire deuis a la femme de son filz, le filz mort, sa femme pourra requerir son douhaire au pere qui promis lui a, se il vit; et se il est mors, aux hoirs du pere, ou cas ou elle naura anffans de son dit mari mort. Et se elle en a enffans elle prendera son douhaire sur la partie a ses enffans et non pas sur les autres hoirs, combien quil soit ete promis du pere. Toutesuoies prendra

(1) Et ce santant par branches es successions de droicte ligne de pere et de mere, et non mie collaterale, comme de loncle ou de la tante, car lon partiroit par chief comme raison vueit.

elle son douhaire deuis ou propre lieu ou promis et assignez lui fut, se ce lieu auient au partaige de ses enffans; et sil ny vient, non pour tant le prenra elle la, mes de tant comme elle prendera sur la partie des autres heritiers, ses enffans seront tenus de faire recompensation aux autres heritiers, chacun an, durant le douhaire.

De acquestibus.

7. *Item*, la brue qui vient demourer avec son mari en lostel du pere ou de la mere son mari, ne prent de droit es acquestz fais du pere ne de la mere de son mari, combien quelle y ait appourtez biens. Toutesuoies ce quelle y a apporte lui doit estre gardez et rendus.

8. *Item*, le mari mort, la femme prent la moictie es moebles et ez acquestz de son mari et emporte cette moictie a tousiours mais, et sur laultre moictie elle ne puet prandre ne auoir doubaire, et pour celle moictie que elle emporte elle (est) tenue de paier la moictie de tous les debz que son mari deuoit au jors de son trespassement, et aussi la moictié de toutes pleigeries fetes par son mari.

9. *Item*, la femme qui prent la moictie es moebles et es acquestz de son mari est tenue en la moictie des rantes annuelles que son mari a vendues a temps ou a tousiours, durant le mariage, supponse quelle ny soit obligee; ou cas toutesuoyes que les rantes seront assignees generaulment sur les biens du dit vendaige.

10. *Item*, se aucune femme donne a aucun sa partie des biens moebles et acquestz de son mari mort sens hoirs de son corps, li donation vault et ainsin fut pronuncie.

11. *Item*, a Dijon et en pluseurs aultres lieux de Bourgoingne la femme ne prent riens es acquestz de son mari faiz durant leur mariage, es lieux ou la dite coustume a lieu, se tant nestoit que la femme a la coustume generale de Bourgoingne. Mes se le mari a aucune chose es lieus ou lon prent en acquestz, la femme empourtera la moictie; et se li mari mariez ou lieu ou lon prent acquestz acquiert aucune chose à Dijon ou en aultre ville ou lieu ou lon ny prent pas, sa femme ny prendera riens.

De collacionibus.

12. *Item*, se aucuns hoins, sa femme morte, ou aucune femme, son mari mort, a pluseurs filles desquelles il marient aucunes en leur donnant certaines choses et aucunes en retiengne devers soy, celles qui demourent pourront aux mariees requerir quelles rapportent ce quelles en auront porte et quelles partent ensemble, et *e conuerso* se elles nont fetes quitance, et est ce que lon dit vulgaument en Bourgoingne : *coloingnes partent.*

13. *Item*, filles mariees de pere et de mere et pour mariage deuis ne viennent point a succession de pere ne de mere ne de collateraulx avec les masles ou les hoirs de masles, se il ne leur fut reserue en elles mariant que elles y peussent venir par rappourtant ce quelles en auront pourte.

14. *Item*, le pere ne puet rappeler sa fille marice de pere et de mere qui aucune chose en aura porte pour son mariage, se il a filz qui doie auenir a succession, se le dit pere ne le fait par le consentement de son dit filz, car aultrement ne vauldroit le rappel.

Noticia qualiter illi et illi. Non abitur incognitum qualiter servus, nomen illi, ancilla ad illo, nomen illa, extra volumtate ad coiugium se coniuncxerunt; sed modo nos una pacis cumcordia convenit ut de agnacione qui de ipsis procreati fuerunt, illi ad ancilla sua duas partes recipiat, ergo et illi ad servo suo illo tercia; et quod ipsi aliquid stante coniugio convenerunt, illi servo suo de ipso peculiare duas partes recipiat, similiter et illa ad ancilla sua illa tercia; proinde ut in postmodum nulla altercacio inter nos non debiat esse, ut manus nostra exinde per ducas epistola une tenorum conscriptas facere deberimus, quod ita et fecimus; et pro rei tucius firmitate modo adfirmavimus, ut nec nos ipsi, nec ullus de heredibus vel de propinquis no tris, aut militans stranea persona que contras istas epistolas venire voluerit, a dupla pecunia teniat obnoxius, et illa repeticio non obteniat effectum; et has convenencias inconcusso et inconvulso teniat firmitate.

XLV. *Incipit epistola qui de heredibus aliquid at ecclesia delegat.*

Lex romana et antiqua consuetudo exposcit ut unusquis homo, dum in suum contenit arbitrium, de rebus suis propriis aliquid pro anime suæ conpendium dare decreverit, licenciam habiat; et illud quod ad loca sanctorum, ad congregacione monachorum, confertur, numquam perit, sed ad memoriam eternam et justicia repotitur. Igitur ego enim in Dei nomen inlustris vir illi necnon et cogive mea inlustra matrona illa, convenit nobis unianimiter pertractantis ut aliquid de rebus nostris in monastirio nostro, quem conmuniter edificavimus, qui est in honore sancti illius infra muro Andecavis constructus, ubi illa abbadissa custos preesse videntur, concidere deberemus, quod ad die presente visi summus fecisse; hoc est locello noncupante illo in pago illo, id est in pago illo, rem proprietatis nostris, quem de parente nostro venerabile vir illo abbati propria pecunia conparavimus, vel die presente nostra est possessio, hoc est cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, acolabus, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, movilebus et inmovilebus, iunctis et appendiensi abiecenciis in se

habentis, ad se pertenentis, cum superposito, pro omni merito suo, ut diximus ad predicta basileca vel congregacio ipsius eius, vel rectore rem ipsa volemus esse translatum adque indultum, ita ut, quicquid exinde ab hac die iure proprio adque firmissimo congregacio ipsius utilitatibus monasterio ipsius elegeret faciunde, liberam habiat in omnibus potestatem, quia malimus te sacrosancti ecclesiæ in honore sancti illius in idipsum monastyrio hedificate, quam reliquis heredibus nostris. Quod si fuerit aliquid de heredibus nostris, qui contra hanc epistola cessione, quem bona volumtate pro nostris expiandis peccatis devovimus, venire aut contrarius a conmuniter vel pulsator secterit, prius a communiter ecclesiæ chatholice sit pulsatus, et eterne damnacione subiectus; et insuper æri liberas tantas, argento pondus x, sociante fisco cuius pulsaverit conponat; nihilhomo in epistola atque definicio nostra omni tempore firma et stabilis perduret.

XLVI. *Incipit noticia quem homenem in causa sua repellavit.*

Noticia qualiter veniens illi Andecavis civetate ante venerabile vir illo abbati vel reliquis quemplures bonis hominibus qui cum ipsi aderunt, cujus nomina vel scripcionibus adque signaculum subterteniuntur inserta, interpellavit alicus hominis, his nominibus illus et illus, dum dicerit quasi vinia sua in loco noncupante illo male ordine pervassissit; quia ipse illi et illi taliter in respunso, quod autore habebant legitimo, nomen illo maiore, quia ipsa vínia ad eos dedissi. Sic ab ipsis viris illi fuit denonciatum ut die illo Andecavis civetate ipso illo in autericio presentare deberit; se hoc non facebat cum legis beneficio ipso illo de ipsa vinia revestire deberet. Actum.

XLVII. *Incipit mandatus.*

Domino magnifico illo, illi. Rogo, preco, supplico, atque iniungo per hunc mandatum ad vicem meam hominem, nomen illo, quem ego beneficium ei feci argento uncias tantas, ipsum meum uLi et ubi, eas vel meas, prosequere et admallare et adcausare facias, quomodo ipso debite recipere facias; et quiquid ad vicem meam exinde facere voluerit, eieris, feceris, gesserisve, ethenim me habiturum esse cognusci ratum. Mandatum Andicavis civetate, Curia puplica.

XLVIII. *Incipit carta de sanguinolento quem de matricola suscipi.*

Cum in Dei nomen nos vero fratris, qui ad matricola sancti illius resedire videmur, quos nobis ibidem omnipotens Deus de conlata christiannorum pascere videtur, invenimus ibidem infantolo sanguinolento qui adhuc vocabulum non habetur, et de cumpto populo parentes eius invenire non potuemus; ideo convenit nobis unianimiter consencientes, et per voluntate marterario, nomen illo, presbitero, ut ipso infantolo ad homine, nomen illo, venumdare deberemus, quod ita et fecimus, et accipimus pro ipso, sicut aput nos consuetudo est, treanto uno, cum nostro pasto, et intimare et intimare rogavimus. Si nus ipsi, aut domenus, vel parentis eius, qui contra carta ista venire voluerit, inprimitus Christus filius Dei vivi terribilem et meduendam, ut non sit ad gaudium, sed ad eius detrimentum, quod ei incuciat sempiternam pena; et quod repetit vindicare non valiat; et hec facta nostra omni tempore firma permaneat.

XLIX. Ier. *Incipit iudicius de homicidio.*

Eveniens illi et germanos suos illi Andecavis civetate ante vero inluster illo Comite vel reliquis racimburdis qui cum eo aderant, quorum nomina per suscripcionibus atque senacola subtertenuntur inserti, interpellabat alico homino, nomen illo, dicebat quasi ante oss annis parentis quorum illo quomodo interfecissit. Interrogatum est sepedicto illo quid ad hec causa darit in respunsis; sed hoe ad integra fortiter denecabat. Sic iusta aptificantes sepedictus germanus, visum est ad ipsis personas decrevisse iudicio, ut quatrum in suum quod evenit ipso kalendas illas aput homines XII mano sua XIII vicinus circamanentis sibi simmelus, in ecclesia seniore loci in ipsa civetate hoc debiat conjurare, quod ad morte sepedicto numquam consentissit, nec eum occessisset, nec consciens nec consentanius ad hoc faciendum numquam fuissit; set hoc facere potest, diebus vite suæ de ipsa causa securus permaneat; sin autem non potuerit, in quantum lex pristat hoc emendare stodeat.

§ 2. *Incipit noticia ad superdicto iudicio.*

Noticia sacramenti, qualiter vel quibus presentibus adherant in ipso dia Kalendas Marcias ingressus est homo, nomen illi, in ecclesia seniores loci Andecavis civetate, secundum quod iudicios suos loquitur

aput homenis XII mano sua XIII. Iuratus dixit : per hunc loco sancto et divina omnia sanctorum patrocinia qui hic requiescunt, unde mihi alilquid homenis illi et germanus suos illi repotaverunt quod parente eorum illo quondam interficisse, aut interficere rogasse; ipsum non occisi, nec occidere rogavi, nec consciens nec consentanius ad morte sua numquam fui, nec illud de hac causa non redebio nisi isto edonio sacramento, quem iudicatum habui legibus tansivi. Id sunt quod de presente fuerunt, et hunc sacramentum audierunt, et hunc noticia manus eorum subter adfirmaverunt. Facto noticia.

L. *Incipit mandatus.*

Domino fratri illo, ego illi. Negociens rogo, preco, adquæ suppleco per hunc mandatum ad vicem meam servo meo, nomen illo, nacione gentile, quem mihi confugio fecit, ubi et ubi cum ipso invenire potuerit, tam in pago, quam et in palacio, seu in qualibet pædera invenire potueris, quicquid exinde ad vicem meam prosequere, et excausare, admallare eas faceas; et quisquid per hunc mandatum egeris, feceris, gesserisve, ethenim me habiturum esse cognusci ratum. Mandatum Andecavis civetate.

LI. *Incipit item mandatus.*

Domeno magnifico illo, ego illi. Rogo, adque suppleco vestra caretate per hunc mandatum ut omnes causas meas in pago illo ad vicem meam prosequere vel admallare facias, tam in pago, tam et in, si necessitas fuerit, ad palacio, vel ubi locus congruos fuerit; et quicquid exinde egeris, feceris, gesserisve, etenim me in omnibus habitaturis tibi essit cognuscat ratum iuratum mandatum, tamquam gestibus oblecatus. Et ut cercius credatur, mano mea supterfirmavi, et magnorum eorum supterius decrevit adfirmare. Datum mandatum Andecavis civetate.

LII. *Incipit noticia.*

Noticia qualiter veniens illi Andecavis civetate die illo in regionis quod ficit miusus illi, dies tantus, placitum suum adtendedit æt contra alicus homines, his nominibus illus et illus, unde ante os dies inracionis fuerunt pro vinia sua in loco qui dicitur illo, unde et autore, nomen illo, spoponderunt presentare ipsa vinia eis consignasit. Sed veniens in eo placito illi de manum usque ad vesperum placitum suum legibus

costodivit, et solsadivit; nam illi et illi ibidem fuerunt, et hoc quod espoponderunt menime potuerunt adimplire. Propteria necessarium ipsius illo, ut hanc noticia manibus bonorum hominum exinde accipere deberit, quod ita et fecit, ut in postmodum quicquid lex inter eos declarat attendere debiat.

LIII. *Incipit cessio.*

Quod bonum faustum si. Lex filicitatis adsatis adsentit, et lex romana edocit, et consuetudo pagi consentit, et principalis potestas non prohibet, ut tam pro se intercitentem, quam ad die filicissimo nupciarum obtabile evenientem. Idcirco ego in Dei nomine, ille nomenande proscribo ad esponsa mæa, nomen illa, filia illius quondam, trancribo ad ipsa per hanc epistole adque cessione, hoc est casa cum curte vel omni circumcincto suo, hoc mobile et inmobile, lecto vestito, campo ferente modius tantus, de uno latere est campus illius, vinia iuctus tantus, de uno latere vinia illius, silva iuctus tantus, de uno latere silva illius, prado iuctus, de uno latere prati illius, et est super terraturium sancti illius in fundo illa villa, bovis tantus, vaccas cum sequentis tantus, ovis tantus, sodisdis tantus, vestimento tanto, inauris de soledus tantus, anobis de soledus tantus, bracilo de soledus tantus; hec omnia rem superius nomenata quamdiu adviximus ambo pariter hoc tenire et possedire debiamus; superius nomenata hoc tenire et possedire debias; et se prolem nobis Deus dederit cum omne integretatem ut rem meliorata acciperit et adfirmare debirimus, quod ita et fecimus; post transitum virum tuum in ipsis revertantur; et se acnacio de nobis procreata non fuerit, hec omnia rem superius nomina hoc tenire et possedire debiant et cui voluerit derelinquas. Et si fuirit, qui contra hanc epistolam adque cessione, quem ego bona volomtate nulla imperium fieri et adfirmare rogavi, venire aut litigare vel infrange fortasse conaverit, inferit inter tibi et fisco soledus tantus coactus conponere debiat; et quod repetit vindecare non valiat.

LIV. (*Sine rubrica.*)

In Dei nomen placuit adque convenit inter illus et illus germanus ut inter se de res eorum devidere debuerunt, quod ita et fecerunt. Accipit illi, hoc est casa cum omni circumcincto illa, seu et mancipia, vel mobile et inmobile quem in ipsa casa esse viditur, vel vinias, silvas, et prata quantumcumque in ipsa casa aspicere viditur, totum

et ad integrum. Et in contra accipit germanus suos illi alio locello illo cum omne rem ad se pertenentis. Unde convenit ut manus eorum firmatas inter se accipere deberunt, quod ita et fecerunt; ut unusquis quod accipit habeat, teneat, et possedeat, vel cui voluerit derelinquat. Et si fuerit unus ex nus ipsis qui contra pare suo agere aut resultare præsumpserit, partem suum ad pare suo admittat, et insuper soledus tantus conponat; et quod repetit nichil valeat vinvindecare; et hec paccio divisionis omni tempore firma permaneat.

LV. (*Sine rubrica.*)

Ego enim il'i. Convenit nobis ad poticionem nutrido nostro ut aliquo locello, nomen illo, in loco qui vocatur illo, pro asidua servio suo vel bevolencia qui circa nus habire visus est, ei concidere deberemus, quod ita et fecemus; ut post hunc die ipso locello integrum habiat concessum, ut quicquid de ipso face volueris liberam in omnibus habias potestatem faciendi; et pro infestantis malis hominibus convenit multa ibidem inserre debiamus, quod ita et fecemus. Et si fuerit, qui contra epistola ista, ullus de heredibus meis, aut qualibet homo, aut extrania persona, qui contra ipsa resultare voluerit, soledus tantus ei conponat; et repeticio sua non obteniat effectum; et hec epistola omni tempore firma permaniat cum stipulacione subnexa.

LVI. (*Sine rubrica.*)

Domino non dulcissemo sed amarissimo et exsufflantissimo iocali meo illo, illa. Dum non est qualiter, faciente inimico et intertitente Dio, ut insimul esse non potemmus; proinde convenit nobis ante bonis hominibus ut advicem nos relaxare deberemus, quod ita et fecimus. Ubicumque iocalis meus muliere volueret, licenciam habiat potestatem faciendi; similiter et illa convenit ut, ubicumque ipsa femena superius nominata sibi marito accipere voluerit, licenciam habiat potestatem faciendi. Et si fueret post tunc diæ unus ex nus ipsis, qui contra hanc episthola ista agere aut repetire presumpserit, soledus tantus ad pare suo conponat una cum iudice intercidentem; et quod repetit nihil valeat vindecare; et hæc epistola omni tempore firma permaneat (1).

(1) C'est à la suite de cette Formule qu'on trouve dans le manuscrit les trois morceaux de chronologie dont il est parlé page 428.

LVII. *Incipit cessio.*

Lex romana etdocet, consuetudo pacem consentit, et regalis potestis non proibit ut unusquis de rem suam, quem in presente diæ possedit, faciat quod voluerit. Icirco ego quidem in Dei nomen illi qui conmaneo illa villa, quia pertractavi circa animus meus ut omnis res meas, quem in presente seculo habire videor, ad filio meo duas partes per hanc epistola cessione ad die presente trado ad possedendo tam casas, domibus, edificiis, mancipiis, campis, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumvæ decursibus, iunctis et subiunctis, movelibus et inmovelibus, omni rem meam pro assidua servicia sua vel benevolencia ei, sicut dixi, partis duas diligo adquæ transfundo ad diæ presente, tercia vere parte ad heredis propinquis reservas, a tamen condicione ut, dum advixero, mihi in omnibus tam de victo quam et de vestito soniare mihi debiat, et ipsa terra prosolvere faciat; et quicquid de ipsis duas partes facere voluerit, abendi, tenendi, donandi, vindendi, seu conmutandi, absquæ preiudicio sancti illius cuius terre esse videtur, liberam in omnibus abeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri esse non credo, si fuerit ullumquam tempore, aut ego ipsi, aut ullus de heredibus meis, vel qualibet homo, aut extranea persona, qui contra hanc epistola cessione ista venire aut agere fortasse presumpserit, inprimetus Dei incurat iudicium et sanctorum loca efficiatur extraneus; et insuper inter tibi et agente sancti illius tantus conponat; et quod repetat nullo congenio evindecare non valeat; et hæc cartola omni tempore firma permaneat.

LVIII. (*Sine rubrica.*)

Nos enim illi et conux mea illa. Dum non est incognitum qualiter aliqua femena, nomine illa, servo nostro, nomen illo, ad coiuginm copulavit et modo nos bona volumtate convenit ut, quamdiu quidam in coiugio sunt copolavi, ipsa femena per nos non debiat esse declinatam in servicio, et agnacio, se ex ipsis procreata fuerit, ad ingenuetatem capitis eorum debiant permanere ingenui, si quoque ut, se eis necessitas fuerit, ad servicio caput eorum inclinatur, non ei detur licencia nisi ad nos, ad heredis nostris propinquioris; et peculiare, quod sitante coniugio laborare potuerit, ipsa femena tercia parte exinde habeat, absque nostra repeticione vel eredum nostrorum. Deinde in hanc epistola nobis intimare convenit se nos ipsi, aut heredis, vel propinqui nostri, seu quislibet opposita persona, quis ad traditis con-

venencias ipsa femena conmodolare voluerit, aut contra epistola hec agere cuitemptator fuerit, soledus tantus conponat; et nihil vindicit et quod repetit; et hec epistola omni tempore firma permaneat.

LIX. (*Sine rubrica.*)

Ego enim illi qui conmaneo illa villa. Constat me accepisse et ita accipi de homine, nomen illo, ad pristetum beneficium argento uncias tantas. Sic modo convenit ut cum vestra caretate ipso argento die kalendas illas mox ventures tenires et circa me habere debiam, et ipso die argento vestro reddere faciam, et caucionem meam recipere faciam. Et si exinde necliens aut tardus fuerit, volomtate vestra non habueris, hic modo mihi in hunc caucione placuit inserrere ipsas res vestras in dupplum vobis sum redeturus, aut vobis, aut cui cautionem istas dederis ad ex. ...

APPENDIX.

Je joins ici une Formule inédite que j'ai trouvée dans un manuscrit de la bibliothèque de l'Université de Leyde. Cette Formule a un grand rapport avec la première du recueil des *Formulæ Andegavenses;* elle offre de même le modèle d'une donation faite par un fiancé à sa fiancée, et accompagnée d'un mandat à l'effet de requérir l'insertion de la donation dans les registres de la Curie, ainsi que du procès-verbal de cette insertion ; elle est même plus complète que la première, car elle contient une quatrième partie, dans laquelle le mandataire rend compte au mandant de l'exécution de son mandat.

Sous un autre point de vue, la Formule du manuscrit de Leyde offre encore de l'intérêt ; on y trouve en effet la date de l'acte sur lequel elle a été rédigée, et l'indication de la Curie de Bourges. Cet acte était de la 34e année du règne de Charlemagne comme roi, et de la 5e année de son règne comme empereur ; c'est-à-dire de l'année 805, Charlemagne étant devenu seul roi par la mort de son frère en 771, et empereur en 800.

Notre Formule prouve donc que sous les Carlovingiens on avait conservé dans plusieurs villes, entre autres à Bourges, l'institution romaine de la Curie, et les formalités de l'insertion des donations dans les registres publics.

§ 1er (*Sine rubrica.*)

Dum Dominus omnipotens creatur cœli et terræ, iuxta quod legitur, in principio masculum et femina cupolæ consorcium sociavit; dum dicitur : non est bonum homine esse solum, faciamus ei adiutorem similem sibi, infundetque benedictione, crescitæ, inquid, tamquam et multiplicatæ et dominamini cuncta reptilia que sub cœlo sunt ; et Salvator intonuit : quamobrem relinquid homo patrem et matrem, et adherebit uxore suæ, et erunt dui in carne una ; et Spiritus Sanctus per sagrorum imperatorem sensit auctoritas, et non inceste vel inlicitæ ad procreandum humani generis coniunctio fiat ; hoc consultum est ut, quicumque liberta persona de rebus propriis facultatis suæ aliquid conferræ voluerit, hoc per seriem scripturarum laudabiliter debeat esse adlegatum adque subterfirmatum, qui hac conditione et iuræ postulat præturium et gestis requirit municipalibus. Idcirco ego in Dei nomen ille, dum non abetur incognitum quod ego te, dulcissima sponsa mea illa, per voluntate parentum tuorum sponsata habeo, et, se Christo placuerit, ad coniugium te sociaræ dispono ; propterea pro amoræ dulcidinis vel osculum pacis, cædo tibi a diæ præsentæ cessumque in perpetuum esse volo, et de meo iuræ in iuræ et dominationis tuæ trado adque transfundo, hoc est : res proprietatis meas sitas in pago Biturigo, in vigarias illas et illas, in villa cujus vocabulum est illa, quantumcumque ibidem visus sum aberæ, tres partis ; similiter et in villa cuius vocabulum est illa ; similiter et in villa illa ; pari modo et in vigaria illa, in villa noncupante illa ; simili modo in vigaria illa, in villa illa. Hæc omnia in ista loca superius conprehensa, tantas partis, tam de alodæ genetorem meorum, quam et de adtracto vel de quacumque modo ad me noscitur pervenisse ; te, dulcissima sponsa mea, hanc cessionem una cum ipsas auctoritatis ante diæ nupciarum vel in diæ integras ipsas partis de quacumque mea est posessio, publicæ trado adque transfundo cum casis, ædificies, curtiferis, et cædo tibi de mancipia illa et illa, de peculiaribus vero quadrupedia greges armentorum duus cum ipso armesario, caballus tantus, stratura condigna, paria tantas de boves ad laborandum cum eorum escasso, waccas grege uno cum eo um sequentes, vervices greges quattuor, sodes greges quattuor, dratpalia, lectus vestitus tantus, vestus muliebrum condignum cum paluis stauracuis tantus, eramenaria auri et argenti in solidos c, ustensilia ferrementum vel quicquid in do-

mibus mibiliora necessarias usum totum cum integritatis quem dinumeraræ per singulum logum est; hæc superios omnia conpræhensa te, iam dicta sponsa mea, ante dies nupciarum vel in diæ, tibi publicæ trado adque transfundo solenniter, liberum exinde fruaris arbitrium et dominatione faciendo quod elegeris. Licet namque in cessionibus pœna adnecti minime sit necessitas inserendi, et pro studium firmitatis mihi placuit inadserere. Si quis vero, quod absit, ullus de heredibus vel coheredibus meis; vel quislibet ulla interposita persona, contra hanc cessione diceræ, aut ageræ, vel resultaræ, aut infrangere voluerit, vel quislibet causatione suscitaræ præsumpserit, quis fecerit parte cui adtemptat una cum sacratissimo fisco auri libras x ut ponderæ argenti, et hæc cessione a me facta omni temporæ inviolabilis obteneat firmitatem; et, ut mos et lex est, gestis municipalibus volo esse adlegati adque adfirmata stipulatione adnixa.

§ 2. *Mandatum.*

Dilecto amico meo illo, ego ille. Rogo adque injungo caritati tuæ per hanc mandatum meum solemniter roboratum, ut adeas ad vice mea Bitoricas in civitate, et epistola cessionis quem in dilecta sponsa mea illa de rebus proprietatis meis conscriberæ vel adfimaræ rogavi, sic mos et lex est, apud honoratis ipsius civitate alegaræ adque adfirmaræ facias; et quicquid exinde ægeris vel gesseris apud me in omnibus ratum, aptum adque defenitum esse cognuscas, et de cælebrata prosecutione mihi rescriberæ non tardaris, stipulatione subnixa.

§ 3. *Gesta cum rescripto.*

In nomine Domini, quod fecit mensus ille, dies tantus; in anno xxx^mo^ inj^to^, regnante domno nostro Caralo rege et exco Christo propitio sumpsit imperium v anno incoante, gesta habita apud laudabilæ viro illo defensore et illo diacono adque professoræ, vel curia publica honoratis ipsius civitatis, trium curialium, magnificus vir ille dixit: queso vos obtimæ defensor vel vos ordo curii iti mihi codicis publicæ pateræ præcipiatis, que abeo que gestorum alegatione cupio roboraræ. Defensor et ordo curii dixerunt: patent tibi codices publici prosequeræ que obtas. Magnificus vir ille dixit: dilectus amicus meus ille, per suum mandatum solemniter roboratum mihi injunxit ut ad laudabilitate vestra Bitoricas in civitate accederæ deberim et epistola cessionis quem de rebus proprietatis suæ in dilecta sponsa sua illa

adfirmavit prosequeræ vel alligaræ deberim. Defensor et ordo curii dixerunt : epistola vel mandata quem te habere dicis nobis ad relegendum ostendæ. Tum unus ex notarius ille, epistola cessionis vel mandatum in publico recitavit; quo recensitus, defensor et ordo curii dexerunt : epistola vel mandatum sicut est conscriptus nostris subscriptionibus qualiter lex est et mos est, tibi alegaræ adque adfirmaræ non tardaris ; quid adhuc amplius vis? Magnificus vir ille dixit : nihil aliud peto magnitudine vestra, nisi ut ipsa epistola vel mandatum una cum gesta quomodo vestris subscriptionibus roboratum fuerit mihi ex moræ tradatur, qualiter diuturno temporæ maneat inconvulsum.

§ 4. *Rescripto.*

Dilecto amico meo magnifico viro illo, ego ille amicus tuus. Cognuscas juxta injunctionem tuam Bitoricas in civitate adie, et epistolam illam quem in dilecta sponsam tuam de rebus propriis tui conscriberæ vel adfirmaræ rogasti, sicut mos et lex est, gestis municipalibus apud laudabilitatem honorati ipsius civitatis alegaræ adque adfirmaræ decrevi et de cælebrata prosecutionem tibi rescriberæ non tardaris, stipulatione adnixa.

INCIPIUNT USATICI

BARCHINONE PATRIE.

(1068.)

1. — (1) Antequam usatici fuissent missi solebant judices judicare ut cuncta malefacta fuissent omni tempore emendata, si non potuerint esse neglectata, per sacramentum et per batayam, vel per aquam frigidam sive calidam, ita dicendo : Juro ego ille tibi illi quod hec malefacta que tibi habeo facta sic ea tibi feci ad meum directum et in tuo neglecto, quod ego tibi illa emendare non debeo, per dominum et hec sancta ; et inde stet ad bellum vel ad unum ex supra dictis judiciis, scilicet aque frigide vel calide.

2. — Homicidia autem vel cugucia que non possunt neglectari, sint secundum leges et mores judicata et emendata siue vindicata.

3. — Cum dominus Raymundus Berengarii vetus comes et marchio Barchinone, atque Yspanie subiugator, habuit honorem et vidit et cognovit quod, in omnibus causis et negociis ipsius patrie, leges gotice non possent observari et vidit multas querimonias et placita que ipse leges specialiter non judicabant ; laude et consilio proborum suorum hominum, una cum prudentissima conjuge sua Adalmodi, constituit et misit usaticos cum quibus fuissent omnes querimonie et malefacta in eis inserta districte et placitate et judicate atque ordinate seu emendate vel vindicate. Hec enim fecit comes authoritate libri judicis qui dicit : Sane adjiciende legis, si justa novitas causarum exegerit, princi-

(1) Voy. *Constit. de Cathalunya*, édit. 1588. Barcelon., in-fol., vol. III, p. 72.

palis electio licentiam habebit, et potestatis regie discretione tractetur, qualiter exortum negocium legibus inseratur; Sola vero potestas regia erit in omnibus libera, qualemcumque jusserit in placitis inserere penam.

4. — (1) Hec sunt usualia de curialibus usalibus quos constituerunt tenere in eorum patria, omni tempore, dominus Raymundus Barchinone vetus comes et Adalmodis conjux ejus, assentione et aclamatione illorum terre magnatum : videlicet, Poncii vice comitis Gerunde et Reymundi vice comitis Cardone et Udalardi vice comitis Barchinone, nec non et Gondebardi de Bigora et Mironis Guilaberti et Alamagni de Ceruelione et Bernardi Amati Clarimontis et Raymundi Montiscataniti, et Amati Eneas et Guillermi Bernardi de Caralt et Arnaldi Mironis de Tost et Ugonis Dalmacii Cervarie et Arnaldi Mironis Sancti Martini, et Guillermi Dapiferi, et Gaufredi Bastonis, et Renardi Guillermi, et Guiberti Guitardi et Guiberti de Ipsis Accutis et Guillermi Marche et Bonifilii Marchi, atque Guillermi Borelli judicum.

5. — Ut qui interfecerit vicecomitem vel vulneraverit sive deshonoraverit in aliquo, emendet eum sicut duos comitores et comitorem sicut duos vasvassores.

De vasvassore, qui quinque milites habet, pro mortem ejus emendet LX uncie auri cocti et pro plagam XXX. Et si plures habuerit milites, crescat compositio secundum numerum militum.

Militem vero qui interfecit, det in compositione XII uncias auri. Qui vero vulneravit, tantum pro una plaga quam pro multis emendet ei uncias VI.

6. — Si quis se miserit in Aguayt et considerata mente requisiverit militem et cum fuste cederit eum et per capillos traxerit, quia magnum dedecus est, emendet illum per mortem. Si aliquis colibet ictu indignans in contradictione cederit militem, idem cum pugno, palma, vel calce, sive cum petra, vel fuste, si sine sanguine erit, dentur ei tres uncie. Si vero inde sanguis exierit : de corpore, uncias III ; de capite, V ; de facie, VI. Si autem inciderit in membris suis ita ut debilis appareat, emendet per mortem. Si vero fuerit captus, et in ferris missus, vel in eschaza missus, pro mediam mortem sit emendatus re-

(1) *Const. catal.*, vol. I, pag. 482-484.

quisitus et cesus vel vulneratus, sive in tavecca missus, vel pro redemptione districtus sit pro mortem emendatus. Si solummodo captus et custoditus, et nullam aliam calumpniam vel contumeliam passus, nec longo tempore retentus, emendetur per alischaran vel per hominiaticum vel per talionem si videtur sibi esse similis. Et si major est ille qui ceperit quam qui captus fuit, liberet ei militem de suo valore qui faciat ei alischaram vel hominiaticum, aut recipiat talionem.

7. — Miles vero qui habuerit duos milites ad homines locatos de suo honore et tenuerit unum de familia sua, tota ista compositio supra dicta sit ei vel pro eo facta in duplo.

8. — Guayta et encalz de cavallerio et assalt de castello emendet per hominiaticum et per alischaram, sicut visum fuerit judicanti qui judicaverit illam causam.

9. — Filius militis emendetur ut pater usque ad xxx annos. De inde ut rusticus si non erit miles factus.

Miles vero, si cavallariam dimittat, dum eam tenere possit, nullo modo judicetur nec emendetur sicut miles. Cavallariam satis dimittit qui cavallum et arma non habet, nec feuum de milite tenet, et in hostes et cavalcatos non vadit, neque ad placitos et curias, sicut miles, nisi senectus eum detinuerit.

10. — Cives autem vel Burgenses sint inter se placitati et judicati atque emendati sicut milites. Ad potestatem vero sint emendati sicut vasvassores.

11. — (1) Judei cesi vel vulnerati, capti aut debilitati, sive etiam interfecti, ad voluntatem potestatis sint emendati.

12. — (2) Bajulus interfectus vel debilitatus, sive cesus vel captus, si nobilis est et panem frumenti comedit cotidie, et equitat, emendetur sicut miles. Ignobilis vero bajulus hujus compositionis medietatem habeat.

13. — Rusticus interfectus seu alius homo qui nullam habeat digni-

(1) Ibid., vol. III, pag. 57.
(2) Ibid., vol. I, pag. 484.

tatem, præterquam christianus est, emendetur per VI uncias auri; plagas quoque uncias II.

14. — Debilitatio et cedis emendetur per legem VIII solidos denariorum. Captio vero, postquam habuerit ei quid emendatum malum quod ei fecit, quando illum aprehenderit, sit emendata ita ut de suo avere donet ei tantum ut faciat ejurare per hominem de suo valore: quod per contumeliam et deshonorem quem ei fecit amplius ei emendare non debet, si ipsa die qua fuit captus, vel in crastinum erit dimissus. Sin autem et plus erit retentus et in eschasa vel ferris sive in tavega missus, vel in quocumque vinculo, aut in custodia retentus, per singulos dies et noctes singulas VI solidos accipiat in compositionem. Pro ligatis manibus vel pedibus X solidi ei dentur.

15. — Si quis aliquem percusserit in facie, pro alapa V solidos; pro pugno, vel calse, sive cum petra vel fuste, solidos X. Et si sanguis inde exierit, solidos XX. Si per capillos quis acceperit aliquem cum una manu, det ei V solidos; cum duabus vero, X solidos; et si ceciderit in terra, XV solidos. Qui vero per barbam, XX solidos. Per descavalcationem, XL solidos.

16. — (1) Captus a curia et missus in castro propter justiciam, non exeat inde sine licentia. Quod si presumpserit, nisi mori forte timuerit, damnum invasionis habebit XXX solidos quos curie dabit, et reversus in castro emendet culpam quam habuit, sicut curia judicaverit.

17. — (2) Si quis aliquem quolibet ictu indignans in corpore percusserit, per singulas percussiones que non pareant singulos solidos; de illis que apparuerint solidos II, per unamquemque. Et si sanguis inde exierit, V solidos; pro osse fracto in corpore, L solidos. Si feriendo aut trahendo aliquem iratus, de ore vel naribus fecit sanguinem exire, XX solidos ei donet in compositione.

18. — Si quis impulerit aliquem cum una manu, I solidum; cum duabus, II solidos; si cecidit in terram, III solidos ei det.

---

(1) Ibid., vol. I, pag. 511.
(2) Ibid., pag. 484.

19. — Si quis ad aliquem spuerit in faciem, emendet ei xx solidos, aut stet illi ad talionem.

20. — (1) Et si quis ad aliquem criminalem folliam dixerit et eam illi probare noluerit, vel non potuerit, aut juret illi per sacramentum quod illam folliam per iram dixerit et non pro veritate, quam inde sciret, aut emendet illi tantum quantum per illam folliam perderet si vera esset.

21. — Malefacta in Saracenis captivis emendentur ut servorum dominis suis. Eorum vero mors secundum valorem illorum (2).

22. — Unaqueque mulier sit emendata secundum valorem viri sui; et si virum non habuit nec habet, secundum valorem patris sui vel fratris.

23. — (3) Omnes homines debent formare directum senioribus suis, ubicunque seniores eorum illis mandaverint, in suo; ad potestatem quoque vicecomites et comitores sui, per unumquodque castrum ex honore suo, per c uncias auri valencie, miles vero per x, per unamquamque cavalleriam terre; et per castrum cum adempramento et per alias x, per feuuos minores, secundum eorum valorem, per hominiaticum; namque pro media cavalleria terre, de hoc quod ad fidem pertinebit; rusticus namque per v solidos format directum accrescendo.

24. — (4) Placitum mandetur tam magnatibus quam militibus, primum ad decem dies. Deinde de octo in octo dies mandetur. Ad rusticos namque mandetur placitum in iiii vel in v dies.

25. — (5) Placitare vero debent cum comite vicecomites et comi-

---

(1) Ibid., vol. I, pag. 485.

(2) On lit à la marge du ms. n° 4671 une addition que je crois être une glose interpolée. Elle a été incorporée dans la traduction insérée dans les *Constitutions de Catalogne*. Elle est ainsi conçue : *Ideo dico quia sunt multi qui sunt ex magna redemptione; quidam vero artificiosi, in diverso genere magisteriorum periti.*

(3) *Const. de Catal.*, ibid., pag. 191.

(4) Ibid., pag. 224.

5) Ibid., pag. 193.

tores et vasvassores sui, necnon et milites, ubicunque eis mandaverint, infra suum comitatum. Sed si ad sua, ipsa die, reverti non poterint, debent illis dare conductum. Similiter debet esse inter vicecomitem et comitores et vasvassores et alios milites, ut unusquisque placitet cum suo seniore, cujus solidus sit vel de quo habuit majus beneficium, infra curtis sue januam, si senior voluerit; si autem noluerit, mandet illi placitum ubicunque voluerit in suo; ita ut si ad sua ipsa die reverti non possit donet ei conductum.

26. — (1) Placitum judicatum inter vassallum et seniorem et judicium ex utriusque partibus laudatum et autorisatum et in manu senioris bene assecuratum, ut sit ei factum redirigat senior primum ad hominem suum cuncta que ei debuerit quocunque modo, et postea recipiat ab homine suo cuncta que illi iudicata fuerint.

27. — (2) Bataya judicata, antequam sit jurata, si per milites debet esse facta, per cc. uncias auri valencie sit per pignora firmata; et si per pedones, sit firmata per c; propter hoc ut ad illum qui vicerit sit emendatum malum quod in bello accepit, tam in corpore quam in cavallis sive in armis, et assequatur hoc pro quo bellum factum erit, et omnes missiones quas per illud bellum fecerit, et diffinitum illud quod accepit ille qui victus fuerit.

28. — (3) De omnibus namque communibus causis, non plus oportet quam iii esse placita : unum in quo sit directum firmatum per plivios vel per pignora convenientes, sicut opus erit vel necesse, querimoniis ex utriusque partibus auditis; aliud in quo sint querimonie dicte et rationate, et judicia data a judicibus ex utrisque partibus electis; tercium quoque in quo sint a judicibus querimonie et judicia retracta, et, si opus erit et necesse, judicia meliorata : postea sint laudata et auctorizata et ad laudamentum judicis illorum bene assecurata per pignora ut sint facta, et hic debent crescere pignora, ad laudamentum judicis illorum; quartum namque in quo dominus placiti recuperet pignora, et, illo ea tenente, sint directa facta et judicia completa, sicut erunt judicata et ex utrisque partibus auctorizata.

---

(1) Ibid., vol. I, pag. 416.
(2) Ibid., pag. 414.
(3) Ibid., pag. 191.

29. — (1) Magnates seu milites, si contenderint firmare directum senioribus suis, sicut eis facere debuerint, et propter hoc seniores apprehenderint potestatem de suo castro, vel emparaverint eis suum feuum, non debent illis reddere nec castrum nec feuum, donec habeant eis factum directum et redemtas omnes missiones quas senior fecit ad apprehensionem castri et per ejus custodiam et per emparamentum feui. Si aliter dederint illis potestatem, non firment eis directum donec habeant castrum recuperatum, nisi senior habuerit guerram ad quam castrum opus habeat aut staticas in ipso castro.

30. — Si quis contradixerit seniori suo potestatem de suo castro, sicut eam illi dare debet, et inde sustinuerit reptamentum, si senior potuit ipsum castrum apprehendere, licitum erit ei tenere simul cum feuis quos tenebat per ipsum castrum, donec contemptor habeat ad seniorem esmendatas omnes missiones et perdedas quas habuit factas in apprehensionem castri et in ejus guardam, et assecuratum jurando manibus suis per sacramentale scriptum ut potestas ipsi castri nullo modo sit eis amplius contradicta.

31. — (2) Si a vicecomitibus usque ad inferiores milites obierit quis intestatus et sine legali condicione suorum feuorum, erit licitum senioribus suis stabilire illorum feuos cum quibus voluerit de infantibus defuncti.

32. — (3) Castlani in castris que tenuerint per seniores suos, non debent subtus illos mittere alios castlanos, nisi consensu senioris. Sed si fecerint et seniores scierint et non contradixerint, castlani, illis scientibus et non contradicentibus missi, stare debuerint. Si sciverint et contradixerint, ejiciant eos inde illi qui eos ibi miserunt.

33. — Si quis suum feuum alicui dederit, vel oppigneraverit, sive alienaverit, sine consensu sui senioris, si senior scierit et contradixerit, emparare ipsum feuum poterit quandocunque voluerit; si vero sciverit et non contradixerit, emparare ipsum feuum non poterit, sed servicium ipsius feui potest petere cui voluerit, tam a donatore quam a receptore. Et si contradictum ei fuerit servicium ipsius feui, erit ei

(1) Ibid., pag. 342.
(2) Ibid., pag. 391.
(3) Ibid., pag. 342

licitum imparare feuum et tenere in dominio donec servicium perditum sit in duplo emendatum, et bene assecuratum quod amplius non sit ei contradictum.

34. — (1) Qui fallerit hostes vel cavalcadas seniori suo cui eos facere debuit, aut emendet ei eas in duplo, si senior voluerit, aut emendet ei totum dampnum et missiones et perdedas quas senior per illius faillimentum fecit. Similiter et milites, si in hostes vel in cavalcatas, sive in servicio dominorum suorum aliquid perdiderint, emendent illis seniores illorum sicut averare poterint.

35. — Qui viderit seniorem suum necesse habere et fallerit eumdem de juvamine et de servicio quod ei debuerit facere et propter hoc fecerit eum redimere, redemptionem illam nullo modo debet assequi vel habere. Sed si senior voluerit ut suus homo addat ei in servicium, crescat et ille ei in beneficium. Sin autem habeat homo quod solitus est et serviat ad seniorem ut consuevit ei servire.

36. — Qui solidus est de seniore, obtime debet illi servire vel secundum posse, vel secundum illorum conventionem; et senior debet eum habere contra cunctos et nullus contra eum. Propterea nullus debet facere solidanciam, nisi ad unum solvere seniorem, nisi concesserit ei senior cui primum solidus fuit.

37. — Qui seniorem suum vivum in bello reliquerit dum eum adjuvare poterit, aut malo ingenio ei de pugna defecerit, perdere debet omnia que per illum habuerit.

38. — Qui ira ductus seniorem suum diffidavit vel ei suum feuum reliquerit, imparet ei senior suus cuncta que per eum habuit et teneat tantum donec in suum hominiaticum revertatur, et firmet illi directum et emendet ei cum sacramento deshonorem quem illi fecerit, et postea recuperet feuum quod reliquerit.

39. — Qui seniorem suum despexerit et per superbiam eum pensabiliter diffidaverit, perdere debuerit in perpetuum cuncta que per illum habuerit, et reddere, si aliquid de suo mobili habuit, quod ei servitum non habuit.

---

(1) Ibid., vol. I, pag. 343 et seq.

40. — Qui se sciente seniorem suum a manu vel a lingua cecidit, vel filium ei legitimum, aut adulteravit uxorem ejus, vel tollerit ei suum castrum et non reddiderit ei sine pejoramento ; aut fecerit ei malum quod non possit ei redirigere nec emendare, per unum ex his, si probatus vel convictus fuerit, debet venire in manu domini sui, cum omnibus que per eum habuerit, ad faciendam voluntatem suam quia maxima bauzia est.

41. — De aliis namque bauziis et malefactis que possunt redirigi vel emendari, firmet homo directum seniori suo, sicut mos est istius patrie, et faciat eum illi sicut ille ei judicare fecerit.

42. — (1) Potestatem de suo castro et firmamentum de directo nullo modo contradicat homo seniori suo, et sicut debet ei dare potestatem et facere directum, quia quamdiu contradixerit, bauziator suus erit. Et si, propter hoc, malum prendiderit, nullo modo emendetur ei. Et si senior in hoc dampnum habuit, aut missionem fecit, evincetur ei ab homine suo.

43. — (2) Si quis in curia a seniore suo, coram principe, reptatus fuit de Bauzia, debet se de illa expiare per judicium vel per laudamentum ipsius curie ; et si facere contempserit, princeps eum debet inde distringere.

44. — (3) Similiter et si senior voluerit militem suum injuste affligere, vel ei honorem tollere, potestas debet inde deffendere et manu tenere.

45. — (4) Et si quis a potestate fuerit reptatus, debet in manu sua se mittere et per judicium ipsius curie redirigere et emendare dampnum et malum aut deshonorem quem ei factum habuerit, aut expiare se de Bauzia per sacramentum, et per batayam ad suum parem qui de genere et de honore sit de suo valore, cum dampno et perdedo quod per hoc debuit habere. Dampnum et perdedum idcirco dicit, ut tantum accipiat si vinxerit quantum perdiderit si vinceretur.

---

(1) Ibid., vol. I, pag. 344.
(2) Ibid., pag. 474.
(3) Ibid., pag. 526.
(4) Ibid., pag. 474-75.

46. — Similiter sit inter magnates et eorum milites, excepto quod bataya non sit in illorum manu facta, sed tantum in manu fidelis ab utraque parte electi.

47. — (1) Cunctum malum quod fecerit homo ad seniorem suum, vel senior ad hominem suum, sine fatigatione directi, et sine acuydamento, debet esse ex utraque parte redirectum.

48. — (2) Omnes homines, a vicecomitibus usque ad inferiores milites, eorum honorem habentes, debent ad potestatem jurare fidelitatem et suum honorem, per sacramentale scriptum, illi videlicet de quibus potestas voluerit.

49. — Sacramentum sit omni tempore juratum super altare consecratum vel super sanctum Evangelium; et ille qui juraverit, in omni sacramento, debet mittere; suo sciente, exceptus in Bauzia et in tradicione, per Deum et hec sancta.

50. — Omnes homines tam milites quam rustici jurent senioribus suis, sicut ipsi eis judicari fecerint juste, in placitis, sive in plateis; seniores vero hominibus suis nunquam.

51. — (3) Judei jurent christianis, christiani vero illis nunquam.

52. — Sacramenta rustici qui teneat mansum et laboret cum pare boum, sint credenda usque ad VII solidos plate.

53. — De aliis namque rusticis qui dicuntur Bacallarii, credantur sacramenta usque ad III mancosos auri valencie. De inde quidquid jurent per examen caldarie demonstrent.

54. — (4) Senex miles qui non potuerit se defendere per semetipsum, vel pauper qui se non potest preparare de bello, credatur per sacramentum usque ad V unciam auri valencie.

55. — Alii quoque milites, a XX annis usque ad LX, quidquid ju-

(1) Ibid., vol. I, pag. 344.
(2) Ibid., pag. 267.
(3) Ibid., vol. III, pag. 34.
(4) Ibid., vol. I, p. 268.

rent, unde perjuri sint apellati, manibus propriis deffendere ad illorum parem debent.

56. — Sacramenta burgensium credantur ut militum, usque ad v uncias. De inde quidquid jurent per bellum deffendant, scilicet per pedonem.

57. — Feuos quos tenuerint milites, si seniores eorum negaverint non eos illis dedisse, averent per sacramentum et per bataiam et habeant illos.

Illos scilicet quos non tenuerint et clamaverint, aut probent per testes, vel per scripturas, eos a senioribus eorum adquisivisse, aut dimittant eos.

58. — (1) Si quis alicui homini jactavit lanceam vel sagittam, seu aliquod armorum genus, si eum in aliquo leserit, emendet ei malum quod fecit; et si illum consequi non potuerit, pro sola presumptione quia jactavit ei, aut stet illi ad talionem sub ipso eodem pavore, aut emendet ei sicut unius plage medietatem. Et si armata manu aliquem leserit, vel requisierit, si non vulneravit, sed tantundem scutum vel vestimentum inciderit, vel in terra descendere et cadere fecit, similiter emendet ei per mediam plagam.

59. — Si quis occiderit aut vulneraverit equum, vel quodlibet animal, homine supra-insedente, emendet ei duplo deshonorem equitantis, cum sacramento.

60. — (2) Omnes quippe naves Barchinonam venientes vel inde recedentes, per omnes dies et noctes sint in pace et treuga et sub defensione Barchinonensis principis, a capite de crucibus usque ad portum Salochi; et si aliquis in aliquo eis male fecit, per mandamentum principis sit illis redirectum in duplo, et principi suum deshonorem in duplo cum sacramento.

61. — (3) Item statuerunt ut omnes homines nobiles et ignobiles, quamvis graves sint inimici, omni tempore sint securi, per omnes

(1) Ibid., vol. I, pag. 485.
(2) Ibid., pag. 518.
(3) Ibid., pag. 528.

dies et noctes, et habeant sinceram treugam et veram pacem, a monte Catani usque ad castrum fidelis, et a colle de Finestrellis usque ad collem de Gavarra et a colle de Carolla et de valle Vitriaria usque infra mare, XII leugas. Et si aliquis hoc preceptum transcenderit in aliquo, malum et deshonorem quod fecerit emendetur in duplo et pro violacione bandi componat ad principem C uncias auri.

62. — (1) Camini et strate per terram et per mare sunt de potestate et per illorum defensionem debent esse in pace et treuga, per omnes dies et noctes, ita ut omnes homines tam milites quam pedites, tam mercerii quam negociatores, per illas euntes et redeuntes, vadant et revertantur securi et quieti sine ullo pavore, cum omnibus illorum rebus; et si quis illos requisierit, cederit, vulneraverit, deshonoraverit in aliquo, aut abstulerit eis aliquid de eorum rebus, malum et deshonorem quod illis fecerit in corpore emendet eis in duplo, secundum illorum valorem, et quod abstulerit restituat eis in undecuplum, et insuper donet ad potestatem tantum de suo avere, vel honore, ut jure-jurando dicat super sanctum altare quod pro deshonore quem ei fecit amplius illi emendare non debet.

63. — (2) Constituerunt etiam supradicti principes et preceperunt ut omnes homines in illorum terram degentes, faciant omni tempore pacem et treugam et guerram, per mare et per terram, sarracenis, *secundum illorum mandamentum.*

64. — (3) Quoniam per iniquum principem et sine veritate et sine justicia periit omni tempore terra et ejus habitatores, propterea nos predicti principes Raymundus et Adalmodis, consilio et auxilio nostrorum nobilium virorum, decernimus atque mandamus ut omnes principes qui in hoc principatu nobis sunt successuri habeant omni tempore sinceram et perfectam fidem et veram locutionem; ita ut omnes homines nobiles et ignobiles, reges et principes, magnates et milites, rustici et pagenses, mercerii et negociatores, peregrini et camina tenentes, amici et inimici, christiani et Saraceni, Judei et here-

---

(1) Ibid., vol. I, pag. 319.

(2) Voy. Ibid., pag. 539. Cet article est omis dans les mss. de la Bibl. roy. J'ai pu le restituer à l'aide du commentaire de Marquillez et de la traduction catalane.

(3) *Const. de Catal.*, I, pag 58.

tici, possint se illis fidare et credere non solum illorum personas sed etiam civitates et castella et honorem et avere et uxorem et filios et cuncta que habuerint, sine timore et absque ulla mala suspicione; et omnes homines nobiles et ignobiles, magnates, milites et pedites, marinarii, et cursarii, et monetarii, in illorum terram stantes, vel aliunde advenientes ad juvandum predictos principes, eorum fidem et locutionem tenere, custodire et gubernare, per rectam fidem sine engan et malo ingenio et sine malo consilio in omnibus videlicet causis, tam in magnis quam in parvis; et inter cetera firmiter custodiatur ab eis pax et securitas quam principes dederint Yspanie et Sarracenis tam per terram quam per mare.

65. — (1) Simili modo firmiter observetur treuga et securitas quam precepit princeps inter inimicos teneri, quamvis ipsi inimici eandem treugam ei non auctorizaverint. Et emparamentum quod fecerit princeps per se vel per suum nuncium, vel *per* suum sagionem, vel per suum sigillum, nemo ausus sit ei desemparare, nisi primum fatigaverit se de directo *apud* principem, ad consuetudinem ipsius curie.

66. — Moneta autem tam auri quam argenti ita diligenter sit observata ut nullo modo crescat in ere, nec minuatur auro, vel argento, nec etiam penso. Qui vero hec omnia vel unum ex his, scilicet pacem et treugam, emparamentum vel monetas fregerit, violaverit, sive falsaverit, et quia tale malum et tale dedecus quod nemo redirigere potest vel emendare ad principem, ita stabiliendo precipimus ut persone eorum cum omni honore et avere veniant in manu principis ad suam voluntatem faciendam, secundum consilium et laudamentum ipsius curie; quia fides et justicia et pax et veritas principis quibus omne regnum gubernatur, regnum et plus quam regnum valent. Idcirco nullus estimare potest vel debet, alio quolibet precio vel emenda, quia hec supradicta fregerit, emendare vel redirigere ad principem, nisi ut supra statuimus venire in manu sua.

67. — (2) Item statuimus ut si quis seniori suo juraverit aliquid quod tenere non curet, dampnum quod seniori suo per transgressionem sacramenti evenit emendet ei in duplo: et si per hoc poterit esse

(1) Ibid., pag. 526-27.
(2) Ibid., vol. I, pag. 268.

salvus de sacramento, deinde et sacramentum teneat et cuncta que seniori suo jurando convenerat faciat et attendat. Sin autem et perjurus videtur esse, aut manum perdat aut c solidos redimat aut quartam partem facultatum amittat, profuturam in manum illius cujus perjurus effectus est. Et postea non testificetur in placito, nec credatur per sacramentum.

68. — (1) Princeps namque si colibet casu obsessus fuerit, vel ipse idem suos inimicos obsessos tenuerit, vel audierit quemlibet regem vel principem contra se venire ad bellandum, et terram suam ad succurrendum sibi monuerit, tam per litteras quam per nuncios, vel per consuetudines quibus solet admonere terram, videlicet per farones, omnes homines, tam milites quam pedites qui habeant etatem et posse pugnandi, statim ut hec audierint vel viderint, quam citius potuerint, ei succurrant; et si quis ei fallerit de juvamine quod in hoc sibi facere poterit, perdere debet in perpetuum cuncta que per illum habet; et quia honorem per eum non tenuit, emendet ei fallimentum et deshonorem quem ei fecit, cum avere et sacramento propriis manibus jurando, quoniam nemo debet fallere ad principem ad tantum opus vel necessitatem.

69. — (2) Item statuerunt siquidem predicti principes ut exorchie, nobilium videlicet et magnatum, tam militum quam Burgensium, omni tempore in principum potestatem deveniant, videlicet omnia illorum alodia, quod quidem principi placuit legis habere vigorem. De mobilibus vero illorum, faciant ipsi exorchi quodcunque voluerint tam parentibus quam ecclesiis, sive pro illorum animabus ea attribuant.

70. —(3) Comunie et conveniencie quas invicem milites et pedites fecerint in cavalcatas, vel in venationes ire volentes, firmiter teneantur ab eis qui eas audierint, et autorizaverint; qui eas vero audierint et tacuerint et non contradixerint, ita habeant probatum, et dampnum quem admodum inter illos fuerit conventatum.

---

(1) Ibid., p. 527.
(2) Ibid., vol. III, pag. 60, et Ducange, v° *Exorc.*
(3) Ibid., vol. I, pag. 174.

71. — (1) Bonum usaticum et bene ab hominibus illorum auctorizatum statuerunt sepe dicti principes, ut omnes homines seniores habentes, nullo ingenio vel ratione, neque per diffidamentum, neque per acuydamentum, neque per illorum feuum illis relictum guaytent personas illorum, nec encalcent, nec requirant, nec vulnerent, nec capiant, nec captos teneant. Si vero, quod absit, hoc aliquis seniori suo fecerit, veniat in manum illius tamdiu stare captus donec habeat illi emendatum malum et dedecus quod ei factum habuerit, secundum judicium principis vel curie, videlicet illud malum quod in persona ei fecit.

72. — (2) Strate, vie publice, aque currrentes et fontes vivi, prata, pascue, silve, garrice et roche, in hac patria fundate, sunt de potestatibus, ut non habeant per alodium vel teneant in dominio, sed sint omni tempore ad emparamentum cuncto illorum populo, sine ullius contrarietatis obstaculo et sine aliquo constituto servicio.

73. — (3) Rochas namque habeant potestates in tali dominio, utcunque eas habeant, in suo feuo, vel in suo alodio, *ut* non condirigant super eas, neque juxta eas fortitudinem aliquam, neque castrum, neque ecclesiam neque monasterium, sine licentia et consilio principis. Quod si fecerit aliquis qui suum honorem habeat juratum principi, perjurus erit in hoc sine aliqua intermissione, donec dimittat condirectionem.

74. — (4) Sechiam (al. *sequiam*) aque molendinorum que fluit ad Barchinonam mandamus esse intactam omni tempore, et qui eam presumptive fregerit componat principi c uncias auri valencie, per unamquemque vicem; et qui in absconso ad rigandum hoc fecerit, componat principi per singulas vices ternas uncias auri predicti.

75. — (5) Si quis Judeo vel Saraceno baptizatis retraxerit illorum legem, vel appellaverit eos: *Tressallids* vel *renegat;* vel si quis inter menia nostra vel burgos primus traxerit gladium contra alium vel appel-

(1) Ibid., pag. 485.
(2) Ibid., pag. 271.
(3) Ibid., pag 445.
(4) Ibid., pag. 272.
(5) Ibid., pag. 485.

laverit aliquem *chuguz*, propter bannum emendet ad principem xx uncias auri Valencie. Et si inibi aliquod malum audierit vel accepit, nullo modo ei emendatum sit, et ille postea stet adversario suo ad directum et justiciam.

76. — (1) Auctoritate et rogatu cunctorum illorum nobilium et magnatum constituerunt sepe dicti principes Raymundus et Almodis, qualiter omne donum stet inconvulsum perhenniter ac firmum; adjicientes ut si quis castrum suum, vel honorem, seu aliquam possessionem voluerit dare filio suo, vel filie, seu etiam nepoti suo, vel nepti, tali vero ratione ut cuncta que dederit cunctis diebus vite sue teneat et post ejus obitum cui donaverat remaneat, talem convenit adhibere firmitatem, quod inde postmodum voluntatem suam nullatenus mutare possit: hoc scilicet ut recipiat eum ad hominem manibus commendatum, aut donet ei potestatem de castro, aut commendet illi castlanum castri et eos qui honorem quem dedit habuerint per eum, aut faciat jam dictum castrum et honorem ei adquirere de seniore per cujus manum ille idem castrum vel honorem habuerit. Quod si hec omnia fecerit, seu etiam unum ex predictis, deinde voluntatem suam mutare non poterit, si illa juste fuerit facta donatio, aut nulla alia impedierit ratio. Nam leges et jura concedunt patrem bene facere filio suo vel nepoti, dando ei vel meliorando eum de suo honore: et est usum hoc facere aliquando in presencia, aliquando in absconso, ob timorem ceterorum filiorum suorum, sive seniorum, vel etiam parentum et amicorum. Ea propter prelibati principes et omnis eorum curia sana intentione laudaverunt et laudando constituerunt hujus modi pretaxatam tenere donationem, videlicet hominiaticum, potestatem castri, aut commendationem castlani, aut adquisitionem de seniore, talem in omnibus firmitatem obtinere, quod deinceps ulla fraudulenta calliditate subverti, vel aliquo ingenio non possit mutari. Hoc quoquo modo et ordine possit pater vel avus meliorare filium suum vel filiam, vel etiam nepotem suum vel neptem.

77. — (2) Exheredare autem possunt predicti genitores filios suos vel filias, vel nepotes sive neptes, si illi tam presumptuosi extiterint ut patrem aut matrem, avum vel aviam, graviter percusserint, vel dehonestaverint, vel de crimine eos in judicio accusaverint, aut si

(1) Ibid., pag. 451.
(2) Ibid., pag. 393-94.

filii efficiantur baudatores, vel filie maritis se jungere noluerint sed turpiter viverint, aut si filii se Sarracenos fecerint et penitere noluerint; tales siquidem manifeste convicti ab hereditate supradictorum, si idem avus, vel avia, pater vel mater voluerint, sunt repellendi.

78. — Si quis filium suum vel filiam seu nepotem suum vel neptam exheredare voluerit, nominatim illum exheredet, et culpam per quam exheredet dicat, et alium in loco suo instituat, et causam exheredationis ab eo qui instituitur heres veram esse probetur. Si unum ex hiis deficerit, exheredare filium suum vel filiam, nepotem vel neptam nullo modo poterit; et si presumpserit, irritum erit et nil valebit.

79. — (1) Possunt etiam principes magnates et milites dare cui voluerint illorum honorem, illum scilicet quem expectabant sibi juste venire in apertionem, post mortem alicujus possessoris; sed postea non possunt mutare suam voluntatem, si acquisitor jam erat homo illorum manibus commendatus, aut, propter illud donum, illum ad hominem receperint, quia hoc erit ei talis tenendo. Quod si senior hunc honorem ei non dedisse negaverit, sufficiet ei averamentum, sicuti faceret si jam hunc honorem tenuisset; quia multocies hoc donum invenitur esse in absconso factum; proptera sepe dicti principes ad talem donum omni tempore dederunt averamentum.

80. — (2) Judicium in curia datum, vel datum a judice de curia electo, ab omnibus sit acceptum et omni tempòre secutum; et nullus, aliquo ingenio vel arte, ausus sit recusare. Et qui contra fecerit vel facere voluerit, persona sua cum omnibus que videtur habere veniat in manum principis, ad suam voluntatem facere, quia qui judicium curie recusat curiam falsat, et qui curiam falsat principem dampnat; et qui principem vult dampnare punitus et dampnatus sit omni tempore, ipse et sua progenies; quia demens est et sine sensu qui sapiencie et sciencie curie vult resistere vel contra stare, in qua sunt principes, episcopi, abbates, comites, et vicecomites, comitores et vasvassores, philosophi et sapientes atque judices.

81. — Judicia curie et usatici gratis debent esse accepti et secuti, quia non sunt missi nisi pro severitate legis; quia omnes possunt pla-

(1) Ibid., pag. 452.
(2) Ibid., vol. I, pag. 35.

citare, sed compositionem juxta leges non omnes possunt implere. Quia leges judicant homicidium esse compositum MCCC solidos aureis, qui valent II millia CCCC solidorum plate fine(1); avulsionem etiam oculi C; abscisionem vero manus C; pro pede C; et sic pro cuncta membra; judicant nempe omnes homines æqualiter; nihil vero judicant inter vassallum et seniorem, quia in legibus (2) non invenitur homininiaticum. Idcirco facienda que sunt secundum usaticum, aut erunt facta, constituerunt prelaudati principes secundum usaticum esse judicata, et, ubi non sufficerent usatici, reverteretur ad leges et ad principis arbitrium, ejusdem que judicium atque curie.

82. — (3) Quicunque subdiachonem occiderit, CCC solidos componat; qui diachonem vero CCCC solidos; qui presbyterum DC solidos; qui monachum CCCC solidos culpabilis judicetur; qui episcopum, DCCCC solidorum (4).

83. — (5) Si quis per treugam domini se miserit in aguayt, vel stabilierit aguayt, infra honorem vel terminum castri adversarii sui, et cum ipso aguayt in crastinum per foras treugam fori fecit, ita debet emendare sicuti faceret si per treugam domini fecisset.

84. — (6) Stabilierunt etiam supradicti principes quod adversarius quilibet suum adversarium in placito sperare debet usque ad horam diei terciam. Deinde vero, si vult, accipiat pignora et teneat istud fallimentum per fatigamentum directi, si ille adversarius qui ad placitum fallerit non habuerit esse sine engan; et si esse habuerit, placitum causidico suo non demandaverit. Non ita erit inter homines et illorum seniores; satis videtur esse congruum sperare homines seniores suos usque ad nonam.

85. — (7) Precipimus ut perjuria caveantur, nec admittantur testes ad juramentum antequam discuciantur; et si aliter discuti non pos-

---

(1) Ibid., pag. 36, trad. catalan.: 300 *sous de morabatins.*
(2) *Wgothicis* nempe.
(3) *Constit. catal.*, vol. I, p. 462.
(4) Deest in ms. 4673.
(5) *Const. cat.* I, pag. 539.
(6) Ibid., pag. 192.
(7) Ibid., pag. 237.

sunt, separentur ad invicem, et singulariter inquirantur; et non liceat accusatori testes eligere, absente suo causatore. Et omnino nullus nisi jejunus ad sacramentum vel ad testimonium adducatur. Si refutatur, dicat ipse qui eum refutat vel probet quare eum recipere noluit, et de ipso pago non de altero testes eligantur, nisi forte longius extra comitatum causa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit perjurius, manum perdat, aut c solidos redimat.

86. — Et testes, prius quam de causa interrogentur, sacramento constringantur, ut jurent se nichil aliud nisi rei veritatem esse dicturos. Hoc etiam jubemus ut honestiores magis quam viliores testes ad fidem pocius admittantur; unius autem testimonium, quantum libet splendida et idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum.

87. — (1) Si quando cujuscunque injusta apellatio comprobatur, sumptus quos per apellationem adversarium suum compulit sustinere, non in simplum, sed in quadruplum ei reformare cogatur. Duo vel tres ad omnia probanda negocia sufficiunt. Unius testimonium legibus et canonibus improbatur (2).

88. — (3) Nullus unquam presumat accusator simul esse et judex et testis, quum in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse; id est judices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos. Judices autem debent uti equitate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam; testes debent probare veritatem.

89. — (4) Accusatores et testes esse non possunt qui ante sternum (5) diem aut nudius tertius inimici fuerint, ne irati nocere cupiant, ne lesi se ulcisci velint; inoffensus ergo accusatorum et testium effectus querendus est, non suspectus. Idonei testes non videntur esse quibus imperari potest ut testes fiant.

90. — (6) Per Scripturam nullius accusatio suscipiatur, sed propria

(1) Ibid., pag. 406. Marquillez : *scilicet quando.*
(2) Ibid., pag. 237. Marquillez y ajoute le fragm. *idonei testes* de l'art. 89.
(3) *Const. cat.* 1, pag. 192.
(4) Ibid., pag. 237.
(5) *Extremum*, ms. 4673. Trad cat : *abans del die passat.*
(6) Ibid., pag. 456.

voce accuset, si legitima et condigna accusatoris persona fiat, presente videlicet eo quem accusare desiderat, quia nullus absens aut accusari potest aut accusare.

91. — (1) Autoritate et rogatu omnium illorum virorum constituerunt sepedicti principes Raymundus comes et Aldamodis ut omnes homines tam nobiles quam ignobiles ad potestates venientes vel cum eis stantes, sive ab eis recedentes, habuissent omni tempore per omnes dies et noctes pacem et treugam et fuissent securi ab omnibus illorum inimicis, simul cum omni illorum honore et avere, et cum omnibus hominibus illorum honorem tenentibus, vel in illorum honore permanentibus, sive in eorum servicio laborantibus, cum cunctis que habuerint vel possiderint, usque quo in domibus suis sint reversi. Et si quis eis nocuerit, vel aliquod dampnum vel forifacturam eis fecerit, ipsa die teneat se pro aquindatum (2) a potestate. Et si per hoc aliquod malum perdiderit, nullo modo ei emendatum sit. Et ille qui precepta principum transcenderit, et ad illos qui in hac defensione sunt positi vel ad res illorum aliquod malum aliquo ingenio fecerit, et cuncta que rapuerit et cuncta que tulerit, in undecuplo eis restituat quibus violentus fuit, per districtionem potestatis, et postea emendet ad potestatem deshonorem quem ei fecit, cum avere et sacramento, manibus propriis jurando.

92. — (3) Constituerunt etiam ut, factis invicem querimoniis, si persone eorum inter quos causa erit postea ad hominiaticum vel ad sacramentum fidelitatis, seu ad amicitiam per fidem comprehensam devenerint, probate querimonie si ibi non fuerint retente, sint perempniter invalide et *reputentur in fine* (4).

93. — (5) Ex magnatibus vero, videlicet vicecomitibus, comitoribus sive vasvassoribus, nullus presumat deinceps ullo modo punire impios, id est pendere per justiciam, nec castra contra principem noviter edificare, nec fortitudinem tenere obsessam, nec debellare cum

---

(1) Ibid., pag. 527. Marquillez : *ad potestatem v. vel cum eo st. s. ab eo rec.*

(2) *Aeuydatum*, ms. 4673. *Sic* Marquillez.

(3) *Const. cat.* 1, pag. 175.

(4) Sic ex veteri versione catal.; mss. autem : 4673, *deputentur infirme*; et 4671, *deputentur in fine*. Versio cat.: *y tenguts per finits.*

(5) Ibid., pag. 527-28.

ingeniis, quod rustici dicunt fimbula, et gossa, et gata, quia magnum dedecus erit potestatibus, et qui fecerit statim ut requisitus fuerit a principe, castrum relinquat, vel destruat, et fortitudinem ei reddat, sine pejoramento, si captam illam habuerit; et cuncta malefacta que ibi fecerit emendet in duplo cui fecit per illius districtum; et si milites vel alios homines ibi perdiderit, solutos illos ei reddat. Postea vero esmendet illi deshonorem, per sacramentum, manibus propriis jurando quod amplius ei emendare non debet.

94. — Quia justiciam facere de malefactoribus datum est solummodo potestatibus, videlicet de homicidiis, de adulteriis, de veneficis, de latronibus, de raptoribus, de bauzatoribus, et de aliis, sicut eis visum fuerit, truncare pedes et manus, trahere oculos, tenere captos in carcere longo tempore; ad ultimum vero si opus fuerit eorum corpora pendere;

95. — Mulieribus autem truncare nares, et labra et aures, et mamillas et si necesse fuerit in ignem cremare. Et quia terra sine justicia non potest vivere, idcirco datur potestatibus justiciam facere; et sicut datum est eis justiciam facere, sic licitum erit eis cui placuerit dimittere et perdonare.

96. — (1) Laudaverunt, ottorgaverunt et auctorizaverunt sepe dicti principes, Raymundus scilicet et Adalmodis, cum eorum magnatibus, ut ecclesias et clericos et omnia eorum directa atque justicias, sive etiam treugas fractas, et sacrilegia in eorum episcopatu facta, requirant et placitent et distringuant et judicent episcopi in eorum capitulis vel in synodis seu etiam in conciliis vel communitatibus.

97. — (2) Item statuerunt prelibati principes ut potestates confirment omni tempore et teneant pacem et treugam domini et faciant eam confirmari et teneri ab illorum die magnatibus, nec non et ab omnibus hominibus in eorum patria degentibus; et si aliquis in aliquo pacem et treugam domini fregerit, redirigat ad judicium episcoporum ejus.

---

(1) Ibid., pag. 15.

(2) Non traduit dans le volume des *Constit. de Catal.* Cet article a-t-il été interpolé? Je ne pense pas; il est indiqué par Marquillez qui suivait un bon texte.

98. — (1) Omnia malefacta que sint per treugam domini facta, omni tempore in duplo sint emendata, exceptis ad illos qui sunt a pace et treuga domini ejecti.

99. — Treuga data tam inter amicos quam infra inimicos sine engan sit observata et custodita; si vero, quod absit, in aliquo fuerit fracta, in simplum sit redirecta.

100. — (2) Si quis de homicidio probatus fuerit vel convictus, veniat in manum proximorum defuncti et senioris illorum, si noluerit directum facere, aut non potuerit facere, ad illorum voluntatem sine morte.

101. — (3) De compositione omnium hominum qui sint interfecti, eorum filii seu propinqui quibus ad capiendam hereditatem legitima successio competit, accusare reum vel homicidam poterint, et indubitanter persequi potestatem habeant. Quod si fecerint, habeant compositionem homicidii, sicut judicatum fuerit a reis vel homicidis facere secundum leges, vel secundum istius patrie mores.

102. — (4) De omnibus hominibus exceptis militibus, scilicet de burgensibus et de bajulis, atque de rusticis, constituerunt sepedicti principes habere de emenda terciam partem seniores eorum in quorum honore steterint quando interfecti fuerint vel quando aliquod malum vel contumeliam in corpore vel in honore, sive in avere prehendiderint, si eorum seniores valde eos inadjuverint; ita tamen ut a quibus acceperint compositionem sine engan faciant illis diffinitionem, laude vel consilio proborum hominum vel etiam istius patrie judicum vel potestatum.

103. — (5) Si quis aliquod malum acceperit, et, antequam eum vendicet, justiciam exinde quesierit, si malefactor eam inde illi facere promiserit, et ille, renuens justiciam recipere, postea aliquod malum perinde fecerit, primum emendet malum quod perpetravit et

(1) *Constit. catalan.*, vol. I, pag. 539.
(2) Ibid., pag. 463.
(3) Ibid., pag. 456.
(4) Ibid., pag. 485-86.
(5) Ibid., pag. 251.

postea accipiat ex malefactore illo justiciam quam inde ei facere debuerit; quod si malefactor justiciam contenderit, si aliquod malum prehenderit, nullo modo ei emendatum sit.

104. — Si quis homines habuerit qui, non precepto vel suo consensu, aliquod malum alicui fecerint, et ille propter eos et de illis justiciam facere promiserit et firmare ut eam faciat voluerit, si ille qui malum prendiderit justiciam recipere noluit et postea exinde aliquod malum alicui fecerit, primum redirigat sicut juste judicatum fuerit malum quod fecerit, et postea recipiat per seniores justiciam de hominibus suis, sicut ille eis facere debuit; quia sicut malum quod factum est per fatigacionem de directo nullatenus debet esse emendatum, ita illud quod factum fuerit, super firmamentum de directo, nullatenus debet remanere ut non sit ei redirectum.

105. — (1) Si quis contra alium aliquam querelam habuerit et ad justiciam faciendam eum vocaverit, ille autem, nec timore Dei, nec judicum jussu, nec propinquorum vel amicorum commonitu, justiciam querelatori facere noluerit; querelator autem, ira commotus, res ejus mobiles rapuerit, immobiles invaserit, domos concremaverit, messes et vineas et arbores devastaverit; posteaque reus aliquo tempore ad justiciam venerit; quidquid dampni ad querelatorem fecit primum et restituat et postea querelator res quas ex bonis ejus possidet ei reddat; consumpta vero, si aliquod lucri ad presens habet, tantum restauret, et postea reus justiciam faciat querelatori, sicut facere debuerit et decet.

106. — (2) De Bajuliis, qualescunque sint, respondere debent bajuli senioribus suis directis, per caldariam, etiam sine judiciis. Bajulias vero non concedant heredibus suis sine consensu senioris

107. — (3) Rusticus si desemparaverit hoc quod recte ei emparatum erit, pro sola presumptione det v solidos, et si rem inde traxit restituat illi in duplo, salvo jure suo seniori. Miles vero quod desemparaverit solvat, et quod abstulerit restituat in simplum cum sacramento.

---

(1) Ibid., pag. 251-52.
(2) Ibid., pag. 344.
(3) Ibid., pag. 521.

108. — (1) Si quis virginem violenter corruperit, aut ducat eam uxorem, si illa et parentes ejus volunt, et dederint ei suum exouar, aut donet illi maritum de suo valore. Si vero (*mulierem non*) virginem quis violenter adulteraverit et impregnaverit, similiter faciat.

109. — (2) De rebus et facultatibus de pagensibus (*sterilibus*) exorchis, illis ab hoc seculo discessis, eorum seniores habeant partem illam quam deberent habere in simul filii, si ibi remansissent, ab exorchis procreati.

110. — (3) Similiter, de rebus et possessionibus cuguciarum, si earum maritis nolentibus facta est cugucia, ipsi et earum seniores, equa portione, habeant partem totam adulterancium conjugum. Si vero, quod absit, volentibus maritis vel precipientibus, vel assencientibus, fuerit facta ipsa cugucia, illorum talium jus et justiciam habeant integriter seniores.

111. — Si autem mulieres, non grata voluntate sed metu et precepto mariti hoc pegerint, et immunes sint a maritis et a senioribus et absque aliqua amissione propriorum bonorum; et si eisdem mulieribus placuerit, separent se a maritis, ita tamen quod non amittant dotem suam nec sponsalicia.

112. — (4) Mariti uxores suas reptare possunt de adulterio, per suspicionem, et ille debent se inde expiare per illarum avagant, per sacramentum et per batayan, si ibi erunt manifesta indicia vel competencia signa: uxores militum et desuper, per militem; uxores civium et burgensium et nobilium bajulorum, per pedonem; uxores rusticorum, manibus propriis per caldariam. Si vicerit uxor, retineat eam vir suus honorifice et emendet ei omnes missiones quas fecerint amici ejus in ipso placito et in ipsa bataya, et malum de ipso bataier. Si autem victa fuerit, veniat in manu sui mariti cum cunctis que habuit.

113. — (5) Vere judex aliter non erit, nisi hoc quod judicavit ad

---

(1) Ibid., pag. 465.
(2) Ibid., vol. III, pag. 45.
(3) Ibid., vol. I, pag. 379.
(4) Ibid., pag. 465.
(5) Ibid., pag 456.

verum traxerit, per sacramentum et per batayam vel per judicium aque calide sive frigide.

114 — (1) Hoc quod juris est sanctorum vel potestatum, aut castrorum terminatorum, nemo potest eis impedire nec pro suo jure deffendere, nec retinere, nec etiam longinqua cc annorum possessione.

115. — (2) Tutores vel bajuli respondeant si voluerint pro pupillis; sin autem, expectandum est usquèquo pupilli sint talis etatis, id est xx annorum, ut placitare possint cum querelantibus. Sed si probare possint se esse fatigatos de directo in patre eorum, illico debent tutores pro pupillis respondere et placitare, absque ulla prolongacione; ita tamen ut cum decesserit pater, statim veniant homines sui ante filium ejus et fiant sui homines manibus propriis commendati; et accipiant per manum illius castella et fevos quos tenebant per donum patris ejus, etsi parvulus est, et donent ei potestatem de ipsis castris. Deinde veniant cum eo ad seniorem per cujus manum debet habere suum honorem et commendent eum illi et faciant ei accipere per manum suam honorem quem pater ejus tenebat per eum; et illi cum tutore, et tutor cum illis, serviant ad seniorem, ita ut non perdat pupillus suum honorem; et sint homines tutoris, salva fidelitate senioris; ita nempe ut si tutor voluerit honorem illius pejorare, vel super usualiter terminum tenere, adjuvent inde ad seniorem illorum sine engan. Interim vero teneat tutor infantem et honorem ejus et nutriat illum bene et honorifice; et ad suum tempus faciat eum militem sicut decet et reddat illi suum honorem. Sin autem et puella est, det ei maritum laude et consilio proborum hominum, et similiter reddat ei suum honorem sine diminucione. Rustici quoque recuperent a tutore illorum honorem et mobile ad xv annos.

116. — (3) Sarracenis in fuga positis, quicunque eos invenerit et retinuerit antequam transeant Lupricatum reddat eos dominis suis, et pro mercede sua habeat de unoquoque singulos mancusos; de Lupricatu ad Franculinum, tres mancusos; de inde unciam unam auri et ferros et vestimenta.

---

(1) Ibid., pag. 397.
(2) Ibid., pag. 390.
(3) Ibid., pag. 491.

117.—(1)Rusticus vero si invenerit aurum vel argentum quod vulgo dicitur bonats, aut equum vel mulum, aut sarracenum, vel accipitrem, vel storium, statim denunciet domino suo, et demonstret et reddat et accipiat ab eo qualem mercedem inde ei senior dare voluerit.

118. — Rusticus etiam cum acceperit malum in corpore, vel dampnum de avere, vel de honore, ullo modo audeat vindicare, nec diffinire. Sed statim ut prehendiderit clamet ad dominum suum et simul cum eo accipiat inde justiciam, vel directum, et faciat in finem, ad illius preceptum.

119. — (2) Solidos de compositione arborum incissarum aliquociens precipimus aureos esse, sicut lex precipit, aliquociens ex denariis; quia sicut omnes arbores non similem valorem habent, ita non debent habere equalem compositionem; et ideo concedimus in arbitrium judicis crescere vel minuere hanc compositionem, secundum valorem arboris et secundum dampnum illarum et deshonorem domini.

120. — (3) In bajulia vel guarda unde quis habuerit hominiaticum, vel censum, si secundum suum posse bene custodierit et defenderit, habere ibi debet stachamentum et moderatum adempramentum, scilicet de herbis et de paleis et de ortis et fructibus arborum et nullo ingenio debet inde malum exire. Quod si fecerit, emendet ei dominus alodii, et insuper adjuvet eum si, per hanc bajuliam vel gardam, habuerit placitum vel guerram. De bajulia vero vel garda, unde non habuerit hominiaticum, vel censum, non habebit estacamentum, sed aliud habeat totum.

121. — (4) Si quis dixerit se fatigatum esse de justicia in principem, vel in episcopum, aut in dominum suum, seu in adversarium suum de directo, aut opposuerit ei esse a pace et treuga Domini ejectum, aut dixerit seniorem suum habere diffidatum, vel aquindatum, si hoc probare nequiverit, emendet ei omnia malefacta que per hanc occasionem fecerit. Postea que faciat querimoniam, et querat justiciam,

(1) Ibid., pag. 379.
(2) Ibid., pag. 486.
(3) Ibid., pag. 271-72.
(4) Ibid., pag. 252.

petat directum, ita publice, pluribusque vicibus, ut non possit ei esse negatum.

122. — (1) Omnes homines, postquam aquindaverint potestates, teneant eis pacem et treugam, xxx diebus; et potestates ad vicecomites vel comitores, xv diebus; et ad vasvassores et alios milites, x diebus.

123. — (2) Christiani non vendant arma sarracenis nisi ex consensu principis; quod si fecerint, armaque vendiderint, recuperent, quamvis eis grave sit; et nisi hoc fecerint, c uncias auri potestati persolvant. Similiter componant, si cibum eis vendiderint, contradicente principe. Eamdem quoque compositionem dabunt, si fecerint scire sarracenis cavalcatam vel ardimentum potestatis, vel discooperuerint eum de consilio suo, vel de secretis suis, emendato malo quod inde exierit.

124. — (3) Alium namque supra dicti principes nobilem et honestum et utilem miserunt usaticum quem illi tenuerunt et successoribus suis tenere in perpetuum mandaverunt; scilicet ut tenerent curiam et magnam familiam et fecissent conductum et darent sollatas et facerent emendas, et tenerent justiciam et judicarent per directum et manutenerent oppressum, et occurrerent obsesso; et quando vellent edere, facerent cornare ut nobiles et innobiles venirent prandere, et ibi distribuerent pallas quas haberent in magnatibus et in eorum familia, et ibi mandarent hostes cum quibus irent ad destruendam yspaniam et facerent novellos milites.

125. — (4) Item constituerunt sepe dicti principes quod si aliquis per semet ipsum vel per suum nuncium voluerit aquindare vel diffidare suum seniorem, securus possit facere, securus dum venerit, securus dum steterit, usque quo ad domum suam reversus fuerit (5).

---

(1) Ibid., pag. 445.

(2) Ibid., pag. 314.

(3) Ibid., pag. 528. Marquillez, au lieu de *Pallas*, lit *Palias* qu'il traduit par *tribut*.

(4) Ibid., pag. 344.

(5) La traduction catalane ajoute ici une disposition qui n'est point dans les mss. que j'ai pu consulter, mais qu'indiquent les anciens glossateurs des *Usatici*: *Entretant empero, si sabra dan de son senyor, vet lo si pora, e si vedar non pora, tantost ho notifie a son senyor, et si non fa, dan de malfaytor ne haura.*

126. — (1) Statuerunt etiam quod si parentes cum filiis vel filii cum parentibus contencionem vel placitum habuerint, parentes sint judicati ut seniores, et filii velut homines manibus propriis commendati.

127. — (2) Quod si filii senioribus patris sui aliquid forisfecerint, pater cogat filios ut illam forifacturam senioribus redirigant et emendent, aut ipse pro eis emendet; quod si facere noluerint, exheredet filios suos omnino, et de manu teneat sine engan.

128. — Item statuerunt quod si aliquis filius magnatum terre, tam majorum quam minorum, fecerit aliquod malum alicui homini ex castro patris sui, vel ex honore ejus, aut cum hominibus suis, ipse cogat filium et homines suam terram tenentes redirigere malum quod fecerunt, aut ipse pro illis redirigat. Quod si filius adhuc ex aliis locis, non ex honore paterno vel castro, neque cum hominibus patris, aliquod malum alicui fecerit, non redeat in paternum castrum vel honorem, neque pater aut mater impendant ei aliquod beneficium, vel protegant eum in aliquo. Quod si fecerint, emendent malum quod filius perpetravit et homines quos secum deduxit.

129. — (3) Statuerunt equidem prelibati principes ut si contentio evenerit aut placitum surrexerit inter christianos et judeos, sufficiant ex utraque parte duo testes ad comprobandam eorum nequiciam : videlicet unus christianus et alter judeus; ita tamen ut, si probaverint pro christianis, testificent ambo et juret judeus; et si probaverint judeis, similiter ambo testificent, et juret christianus.

130. — (4) Statuerunt etiam prefati principes et cognoverunt esse bonam fidem ut omnes homines, postquam quemlibet habuerint salutatum vel hosculatum, nullo ingenio aliquid ipsa die eis forisfaciant; si vero, quod absit, fecerint, sine aliquo interdicto illam forisfacturam cui factam habuerint redirigant et emendent.

131. — Similiter nempe statuerunt, ac bonum causimentum esse laudaverunt, ut si quis cum aliquo hospitaverit vel comederit, vn

---

(1) *Constit. catal.*, vol. I, pag. 192.
(2) Ibid., pag. 314.
(3) Ibid., vol. III, pag. 32.
(4) Ibid., vol. I, pag. 187.

sequentibus diebus, ab illius dampno se abstineat omnino, ut per aliquod ingenium aliquam foris facturam nullo modo ei faciat, neque per seniorem suum, neque per semetipsum. Quod si evenerit ut faciat, redirigat cui fecerit, et emendet sine engan.

132. — (1) Constituerunt igitur ut si quis cum alio ierit vel fuerit, sive in via, aut in domo, sive in agro, seu in alio quolibet loco, si aliquis eum requisierit vel aliquid de suo ei tollere voluerit, adjuvet in eum prout in melius possit, sine engan, contra cunctos, etiam contra seniorem suum; et nullam ex hoc pertimescat calumpniam, et senior suus nullo modo possit eum inde reptare in alico de hominiatico, neque de sacramento transgresso, nisi antea ab ipso seniore suo, seu ab amico ammonitus fuerit ut eum non guidasset, nec cum illo abisset.

133. — (2) Denique sepedicti principes apud Barchinonam commorantes, in ecclesia Sancte Crucis, Sancteque Eulalie, una cum consilio et auxilio episcoporum suorum, videlicet H. Barchinonensis et W. Ausonensis, et B. Gerundensis, nec non et abbatum et diversi ordinis clericorum religiosorum; assentione et acclamatione eorum illorum terre magnatum, ceterorumque christianorum Dominum timentium, confirmaverunt pacem et treugam Domini et statuerunt illam teneri in eorum patria omni tempore; et, si ullo modo fracta fuerit, redirigere et emendare quemadmodum scriptum habebatur illo tempore, in unaquaque sede, vel in unoquoque episcopatu illorum tempore.

134. — (3) Si ille qui plivium fecerit, fidem quam convenerit portare contempserit, liceat illi cui mentitus fuerit, eum distringere et oppignorare in treugam et in pace per omnes dies; ita tamen ut moderatum faciat districtum, aut competenter capiat pignus, quia non est justum capere magna pignora pro debitis modicis. Si vero ille qui plivium fecerit, fidem portaverit, et de suo debitum persolverit, ille qui eum in plivium misit, et ejicere noluit, in duplo ei persolvere cogaturtotum dampnum quod ei per ipsum plivium evenerit.

---

(1) Ibid., pag. 445.

(2) Cet article est reproduit dans une charte plus étendue qui a été insérée dans les *Constit. de Catalogne*, pag. 542, à la place de l'*usaticus*.

(3) Ibid., pag. 450.

135. — (1) Si quis seniorem suum despexerit et ei viliter responderit, et de reptamento quod ei fecerit eum dementitus fuerit; si malum inde ibi acceperit, nullo modo ei emendatum sit, si senior ex hoc verum dixerit; sin autem et senior mentitus fuerit, emendet ad hominem suum malum et deshonorem quem ille et sui inibi ei fecerint.

136. — (2) Miles vero postquam fuerit a seniore suo de baudia reptatus, non debet ei respondere de aliis querimoniis, donec à reptamento se expiaverit, nisi senior antea ei dimiserit reptamentum.

137. — (3) Constituerunt etiam sepedicti principes ut si majores cum minoribus causam habuerint et sacramenta inter eos judicata fuerint, jurent majores minoribus per semetipsos, si minores potuerint habere illorum quoequales qui pro eis jurent. Sin autem, jurent minores majoribus et majores donent eis illorum consimiles qui hoc jurent illis quod eis jurare debent. Si hoc totum illis defuerit, ex utraque parte sacramenta fiant per singulos homines qui sint christiani et homines illorum, manibus propriis commendati; hoc nempe constituerunt de communibus placitis in quibus nullus habet senioraticum vel dominationem.

138. — (4) De intestatis ab hoc seculo discessis, si reliquerint uxores ac filios, tertiam partem assequantur seniores in facultatibus eorum; si reliquerint filios et non uxorem, assequantur medietatem prefati seniores; si uxores et non filios, habeant medietatem seniores jam dicti, aliam medietatem parentes defuncti: quod si parentes desunt, senioribus detur totum, observatis tamen ad uxores suis directis, in omnibus locis. Ita sit de uxoribus intestatis quemadmodum dictum est de viris.

139. — (5) Unaquaque gens propriam sibi ex consuetudine elegit legem. Longa enim consuetudo pro lege suscipitur. Lex autem juris est species; mos vero, longa consuetudo de moribus tracta tantum-

(1) Ibid., pag. 486.
(2) Non traduit. Marquillez lit: *de bauxia.*
(3) *Const. cat.* 1, pag. 268.
(4) Ibid., vol. III, pag. 45.
(5) Ibid., vol. I, pag. 42.

dem. Consuetudo autem est jus quoddam, moribus institutum, quod pro lege suscipitur; nam quod rex vel imperator edicit, constitutio vel edictum vocatur. Omne autem jus legibus et moribus constat; mos vero est vetustate probata consuetudo. Institutio equitatis duplex est, nunc in legibus, nunc in moribus.

140. — Privilegia autem sunt leges privatorum, quasi private leges; nam privilegium inde dictum est quod in privato feratur.

141. — Solidus aureus (1) habet octo argenteos. Argenteus valet dimidium morabatinum. Uncia valet XIV argenteos. Libra quoque auri habet XXI solidum. Viginti unum solidorum sunt XII uncie. Solidus quoque valet IIII morabatinos. Uncia vero, VII morabatinos. Libra namque LXXXIIII morabatinos. C solidi valent CCCC morabatinos. CCC solidi valent MCC morabatinos. Tres manchusi auri valencie valent unum morabatinum. Ternus dicitur pars tercia solidi.

142. — (2) Cum temporibus predecessorum nostrorum, per eorum auctoritatem et constitutiones, in his casibus quos leges nostre non sunt amplexe, utilitati communi sit provisum; nos *autem* eorum vestigia sequentes, omnem que matheriam sedicionis tollentes, et securitatem omnibus militibus ad curiam nostram venientibus vel apud nos manentibus, ex regio beneficio propiciantes, hac presenti lege decernimus, ne quis ausu temerario eos ad nos venientes vel redeuntes, vel apud nos manentes capere vel percutere presumat; penam illam in eum statuentes que constituta est in eos, a predecessoribus nostris per legem consuetudinariam, qui treugam et securitatem a principe datam non observaverint, vel in eos qui falsarii monete inventi fuerint. Sed et eadem pena feriendos esse censemus qui milites vocatos a domino archiepiscopo, et episcopis, comitibus, vicecomitibus, comitoribus,

---

(1) Cet article est omis dans le ms. 4673, et il porte le n° 163 dans le ms. 4671. La traduction catalane (*const.* I, pag. 531) indique un texte un peu différent de celui du ms. *Sou de or ha vuyt argents. Unça quatorze. Liura de or vingt y un sous. Lo sou val quatre morabatins. La unça set morabatins. La liura val Settante quatre morabatins. Cent liuras de or de valencia han enfi dos milia e cent sous de or, qui valent vuyt milia e quatre cents morabatins. Cent unças de or de valencia valen dos cents morabatins. E quatre mancusos emig de aquell or valen un morabati. E set mancusos de aquell mateix or fan una unça, qui val dos morabatins.*

(2) *Const. cat.* I, pag. 528.

vasvassoribus, vel quibuslibet aliis, de causa aliqua, ex cómmissione nostra cognoscentibus, in aliquo supradictorum offenderint. Adjicimus quoque huic nostre constitutioni quod si in presencia nostra, vel supradictorum, miles aliquis dementitus fuerit dominum suum (nisi ex causa reptamenti de prodicione, quia tunc non tenebitur hac constitutione, dummodo se purgare voluerit, licet curialius fecerit, si abstinuerit) eadem pena teneatur. Si vero miles non dominum dementitus fuerit, nisi ex causa supradicta, veniat in potestatem judicum, secundum arbitrium eorum, condemnandus.

143. — (1) Quoniam ex conquestione subjectorum querelam frequenter suscepimus, quod propter testium corruptionem veritas obfuscatur et depremitur, imperiales leges in hac parte sequentes, sanximus quod, si quilibet testis ab aliquo productus fuerit, in sacramento comprehendat, nec sibi, nec, se sciente, alicui subjecte persone pecuniam vel aliam rem fuisse datam, vel promissam. Præterea, facilitatem testium per quos veritati contraria proferuntur omnino cómpescentes, jubemus, cum, sub examine nostro vel cujuslibet a nos delegati, litigantem, qui scienter falsum testem produxerit, vel corrupserit, et amissionem cause sustinere et omnium bonorum mobilium duntaxat publicationem incurrere: quorum bonorum medietas domino ipsius assignetur, et medietas errario nostro servetur. Sed et eamdem penam sustineat circa publicationem bonorum qui falsum tulisse testimonium convictus fuerit, et insuper manum amittat et linguam, possessionibus uniuscujusque devolvendis hiis qui jure successorio ad eorum bona vocantur.

144. — (2) Quoniam ex conquestione subjectorum nostrorum frequenter querelam suscipimus quod sepe in judiciis calumpniose agitur et excipitur; interdum vero ab interlocutoria apellatur et ex hoc lis longius protrahitur et diutius suspenditur, ita quod vix aut nunquam finaliter poterit concludi; volentes huic fraudi seu malicie regali antidoto occurrere et finem litibus cupientes imponere, nec partes laboribus et expensis indebite fatigentur, de consilio et approbatione nobilium, magnatum, etiam civitatensium nostrorum qui tunc temporis in curia nostra aderant, taliter duximus statuendum,

(1) Ibid., pag. 237.
(2) Ibid., pag. 227

quod de cetero, in omnibus causis, prestetur sacramentum de calumpnia ab actore et reo; et quod nullatenus (1) ab interlocutoria sentencia apelletur, nisi a manifesto gravamine, vel nisi in se evidenter contineat errorem, seu contra jus fuerit pronunciatum. In quibus casibus, infra triduum cognoscatur de sentencia supradicta, et fine debito corrigatur; sic enim non solum lites sed etiam calumpniatores minuentur.

Item (2), provida deliberatione statuimus quod quilibet judex ordinarius testes nominatos cogat ad perhibendum testimonium veritatis,..... cum ob defectum testium sepe veritas occultetur.

Item (3), inviolabili observatione precipimus firmiter custodiri quod si contigit viatorem aliquem et advenam cum aliquo subditorum nostrorum causam habere, cito, absque mora, causa ista fine debito terminetur. Iniquum enim esset si hujus persone, que periculum viarum et fluminum sustinere se et sua frequenter exponunt, longiorem moram, contra proprie voluntatis arbitrium, in aliquo loco facere videantur (4).

145. — (5) Precipimus ut si aliquis alodiarius, miles vel rusticus, alodium suum dare vel vendere voluerit ecclesie vel monasterio, aut alicui dare, licentiam habeat, salvis bajuliis nobilium; et quantum habet in proprietate alodii, tantum habeat in hominibus ibi habitantibus vel inde exeuntibus.

146. — (6) *Statuerunt etiam sepe dicti principes ut* Si dominus bajulo suo propter fatigationem directi bajuliam suam emparaverit, et bajulus aliquo modo eam ei desemparaverit, bajuliam perdat et desonorem,

(1) Ibid., pag. 406.

(2) Ibid., pag. 238.

(3) Ibid., pag. 255.

(4) Le ms. n° 4673 nous fait défaut désormais. Quant au ms. n° 4671, à partir de l'art. 144, l'ordre des *usatici* y est complétement brouillé et renversé; l'écrivain n'est plus le même et il a inscrit dans sa copie des fragments qui n'appartiennent point à l'ouvrage de Raymond le vieux. Ainsi les n°s 146 et 147 du ms. sont des constitutions de Jacques Ier qu'on retrouve aux pages 268 et 385 des *Constitutions de Cathalunya*. Nous rétablirons le texte dans l'ordre des mss. primitifs, tel qu'il est indiqué par les commentateurs et par la table qui est en tête des *Constitutions* de Catalogne.

(5) *Const. cat.* 1, pag. 12.

(6) Ibid., pag. 344. D'après Marquillex, cet article commence à *Si dominus*.

si cum domino suo in alio suo honore remansit, ad suam mercedem ei emendet; et de suis expletis si tantumdem furatus fuerit, et probare eum in aliquo judicio potuerit, per IX vices emendet; et deinceps per eam non transeat, nisi voluntas fuerit domini sui.

147. — (1) Vidua si honeste et caste post mortem viri sui in suo honore, bene nutriendo filios suos vixerit, habeat substanciam viri sui, quamdiu steterit sine marito. Si se adulteraverit et cubile viri sui violaverit, amittat honorem, et totum avere viri sui; et veniat honor in potestate filiorum, si in etate fuerint, vel illorum propinquorum, ita tamen ut non perdat suum, si in presenti apparuerit; nec sponsalicium amitat, quamdiu vixerit, et postea redeat ad filios suos vel propinquos.

148. — (2) Si quis vel testamentum vel cartam firmatam de aliqua contentione in placito ostenderit, et de altera parte nec per testes ydoneos, nec per scripturas firmas evincere potuerit, judex dicat quod justum ei videtur; alias servet unicuique directum suum.

149. — (3) Si quis bajuliam vel honorem domini sui impignoraverit sine ejus consensu, emparare poterit *dominus* per directum quandocumque voluerit. Si vero scierit, et non contradixerit, non emparet eas, sed firmet bajulus in directum, secundum valorem bajulie vel honoris, et sit emendatus, quia cum ejus consilio non fecerat, despectui illum habens.

150. — Si senior fatigaverit se, necessitate compulsus, de aliqua re in bajulo vel suo homine suum tenente de suo servicio, vel alio suo juvamine, semel, bis iterum, et, postea recusando, negaverit ei suum servicium vel adjutorium, secundum posse suum, firmet ei directum, vel coactus, primum servicium quod quesivit duplum emendet, et suum juvamen amplius ei non neget.

151. — (4) Si quis acceperit alienum hominem ei *redebentem* aliquod censum pro defensione, more solito, non debet eum manutenere suo seniori de juribus suis.

---

(1) Ibid., pag. 389.
(2) Ibid., pag. 308.
(3) Ibid., pag. 344.
(4) Ibid., pag. 379.

152. — (1) *Castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm, qúasi casam altam quæ, mœnibus munita, pro castro tenebatur.*

153. — Cum in contentione (2)... (*res in contentione posita, donari, vendi aut transferri non potest.*)

154. — Quicumque violenter (3) *expulerit aliquem de possessione, sentencia judicis non expectata, causam amittat. Ille vero qui violentiam passus est redintegretur in possessione et securus ibi maneat. Si vero invaserit rem quam judicialiter obtinere nequit, et causam amittat, illudque, tantum quantum invasus est, expulso reddere teneatur.*

155. — Qui aliena (4) *furaverit aut invaserit, si in illa direptione cesus aut occisus fuerit nullam calumpniam patiatur qui vulneravit vel occidit invasorem.*

156. — Omnes cause (5) *Sive bone sive male, actionesque civiles et criminales, spacio* XXX *annorum tollantur; ita quod si postea de his mota sit questio, conventus gaudeat prescriptione, et actor libram auri cui princeps jusserit solvere teneatur.*

157. — Nemini liceat (6) *donare, vendere vel permutare res ecclesiasticas vel monasteriorum. Et si secus fiat pro infectis habeantur alienationes; emptorque precium amittat et venditor rem et precium ecclesie reddat. Quod mandatum servari curent episcopi. Res que ipsas etiam titulo pignoris vel ypothece obligari non liceat; aliasque revocetur ut in ecclesia sacra procedat missa.*

158. — Statuimus quod aliquis clericus (7) *non audeat rem immobi-*

---

(1) Omis dans le ms. 4671. On peut le restituer d'après la traduction catalane (ibid., pag. 445) et d'après Marquillez, puisqu'il ne contient qu'une définition grammaticale du *castrum* empruntée à Isidore, *Orig.* XV. 2. 13. Édit. Lindeman.

(2) Omis dans le ms. 4671. Marquillez en a donné un sommaire qui peut remplacer le texte. Voy. la traduct. dans *Const. de Catal.*, ibid., pag. 449.

(3) Omis dans le ms. 4671. Voy. *Const. de Catal.*, ibid. pag. 441. Le sommaire de Marquillez peut y suppléer.

(4) Voy. *Const. de Catal.*, ibid., pag. 478, omis dans le ms. 4671.

(5) Omis également dans le ms. 4671. Voy. *Const. de Catal.*, pag. 397. Marquillez attribue cet *usaticus* au roi Jacques Ier.

(6) Omis également dans le ms. 4671. Voy. *Const. de Catal.*, ibid., pag. 12.

(7) Omis également dans le ms. 4671. Voy. *Const. de Catal.*, ibid., pag. 314.

lem ecclesie absque licentia et subscriptione principis (Marquillez lit : *episcopi*) *alienare. Alias, pro nullo habeatur, et contrafaciens pena degradationis mulctetur. Et jam alienate revocentur.*

159. — (1) Si quis inscio domino alienam arborem inciderit, si pomifera est, det solidos III. Si oliva, solidos V. Si glandifera et major, II solidos; si minor est, I solidum. Si vero alterius sint generis et majores atque prolixiores sint, binos solidos det *pro unaquaque;* quia licet non habeant fructus, ad multa tamen commoda utilitatis preparant usus. Et hæc quidem composicio erit si tantumdem abcise fuerint; nam si presumptive incise alicubi ferantur, aut similes arbores cum illis incisis dabuntur, aut predictum precium duplo solvetur.

160. — Si quis alienum ortum vastaverit, statim, juxta damni estimationem a judice factam, domino orti cogatur exsolvere; ita ut si servus hoc fecerit, super compositione ipsius *dampni*, I flagella, excessus accipiat.

161. — (2) Si quis per amorem pecunie (al. *per pecuniam*) aut per amorem amici vel propinqui sui juraverit, quartam partem de omnibus rebus suis, ei cui falsitatem juraverit, componat et testimonium amittat.

162. — Si quis falsum testimonium contra proxumum suum aliquo casu dixerit vel fecerit, tantum de suo avere perdat quantum suus proximus amisisset, si veritatem, contra eum testificando, dixisset.

163. — (3) Nullus homo vel femina testificare potest usque ad XIII annos completos. — Duo testes ydonei ad probanda omnia sufficiunt. (*Voy. l'art.* 87.)

164. — (4) Homicide, malefici, fures, venefici, sacrilegi, adulteri, incesti, et *omnes criminosi, ullo modo in testimonium recipiantur.* Anathematizati vero, excommunicati, heretici, Sarraceni, Judei, *a testimonio contra christianos sint alieni. Consanguinei etiam contra extraneos tes-*

(1) Voy. *Const. catal.*, ibid., pag. 486.

(2) Ibid., pag. 464.

(3) Ibid., pag. 238. La seconde partie de cet art. n'existe pas dans le ms. de Marquillez.

(4) Voy. *Const. catal.*, ibid. — Omis dans le ms. 4671.

tificari non possint, nisi voluerint; et inter se consentientes testificari possint, et non contra alios. Familiares nec servi pro domino testes idonei esse non possunt. Item inimici et qui mutuis vicissim inimici fuerunt a testimonio repellantur. (Voy. l'art. 89.)

165. — Oportet (1) *ad mandatum judicis, prius facta citatione, cogendum esse testem ad perhibendum testimonium veritatis. Qui autem veritatem celaverit, etiamsi metu mortis aut debilitationis tacuerit, deinceps in testimonio non recipiatur.*

166. — (2) Clerici et monachi sive sanctimonialis, qui usque ad septimum gradum non reliquerint heredes, et sic moriuntur ut nichil de suis facultatibus ordinent; ecclesia ubi ipsi servierint eorum substantiam vendicabit.

167. — (3) Pater contra filium, filius contra patrem, etiam si utriusque consenciunt, testes esse non possunt. Similiter, alter pro altero, testis esse non potest, quia in re propria reprobatum est domesticum testimonium. In alia vero, nihil nocet ex una domo plures testes alieno adhiberi negocio. In re propria testis aut judex aliquis esse non potest. De re filii, si utique consenciant litigatores, pater potest esse judex; similiter filius de re patris. Altero vero invito judicium ejus probabile non est.

168. — (4) Affirmantis est probare, non negantis; et hoc per omnia currit in exceptione et ceteris similibus. Sacramentum non est probatio, sed in defectu probationis datur reo vel actori, cui judex certiorem esse cognovit et quem magis juramentum timere perspexerit. Probatio fit aut testibus, aut cartis, aut argumentis, vel judiciis verisimilibus. Igitur sacramentum non est probacio.

169. — (5) Si quis in alieno solo, sua matheria, domum hedificaverit, illius sit domus cujus et solum est. Sed tamen si bona fide hedificaverit, scilicet solum suum esse credens, domum retinere poterit, donec precium matherie et merces fabrorum recipiat. Si vero mala fide sciens in

---

(1) Voy. *Const. de Catal.*, ibid. — Omis dans le ms. 1671.
(2) Non reproduit dans les *Const. de Catal.*
(3) *Const. de Catal.* 3, pag. 238.
(4) Ibid., pag 231.
(5) Ibid., pag. 396.

alieno, contra domini voluntatem, hedificat, animum donandi videtur habere. Sed si conductionis jure et voluntate, si sine culpa domini, et ulla necessitate urgente, domum deserat, nec precium matherie, nec merces fabrorum recuperet. Si vero culpa domini, aut necessitate rerum cohactus, domum deserat, veluti propter regionis famem, aut propter guerram, aut propter impressionem alicujus potentis, tunc matherie precium dominus ei cogatur reddere; compensato si quid pro mercede domus debet. Quecumque diximus de eo qui bona fide, vel mala fide, hedificat, et omnia intelligenda sunt de eo qui seminat aut plantat aut silvam infructuosam extirpat.

170. — Si quis aliquem de bausia reptaverit (1) *et reptator non fuerit reptati dominus, et in manu domini se miserit pro bataya, si reptatus victus fuerit, fiat de illo sicut de fraudatore probato fieri debet; et victor recuperet de bonis victi omnes missiones et perdutas quas propter batayam fecerit. Si vero reptator victus fuerit, qui sanguinem alterius injuste tentaverit effudere, in potestate victoris tradatur qui pro sua voluntate de rebus suis capiat emendandum damnum quod passus est.*

171. — Hec est forma (2) qualiter fiat sacramentum judeorum quando intendunt jurare contra christianos, tenentes rotulum in collo.

Juras, o Judee, per illum qui dixit: Ego sum et non est alius preter me; juras per illum qui dixit: ego sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra egypti et de domo servitutis. — Dic: Juro.

Et per illum qui dixit: *Non habebis deos alienos contra me.* — Dic: Juro.

Et per illum qui dixit: Non facies..... neque omnem si-

---

(1) Omis dans le ms. 4671. Traduit dans les *Const. catal.*, pag. 475. Marquillez lui a substitué la constitution *si quis promiserit* de Pierre Ier, roi d'Aragon, relative à la promesse faite par un père, sous clause pénale, de donner sa fille en mariage. Il paraît que cet *usaticus*, comme les quatre suivants, était de bonne heure tombé en désuétude.

(2) Cet *usaticus* est également omis dans le ms. 4671, mais je l'ai retrouvé au fol. XLVIII du ms. 4673. Il a été traduit au vol. 3 des *Constitutions de Catal.*, pag. 5. Marquillez lui a substitué la constitution : *cum in celebri causa,* de l'an 1218; laquelle a été aussi intercalée dans le manuscrit 4671, au n° 147 des *usatici*; on la retrouve à sa place naturelle dans le ms. 4673; elle est traduite en catalan, dans les *Const. de Catal.*, 1, pag. 385. La *forma sacramenti* pourrait bien cependant être postérieure à Raymond le vieux. Elle est datée de l'an 1241 dans le ms. 4673.

militudinem que est in celo desuper, et que in terra deorsum, nec eorum que sunt in aquis, sub terra; non adorabis ea neque coles. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Ego sum dominus deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in terciam et quartam generationem eorum qui oderint, et faciens misericordiam his qui diligunt me in milia, et custodiunt precepta mea. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Non assumes nomen domini tui in vanum, nec enim habebit insontem dominus eum qui assumpserit nomen domini sui frustra. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Memento ut diem sabbati sanctifices ; vi diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbati, Domini tui est, non facies omne opus tuum, et filius tuus, et filia tua, et servus tuus et ancilla tua et jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus celum et terram, mare et omnia que in eis sunt, et requievit in die septima. Idcirco benedixit Deus diem sabbati et sanctificavit eum. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam ut sis longevus super terram quam Dominus Deus dabit tibi. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Non occides. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Non mechaberis. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Non furtum facies. — Dic : Juro.

Et per illum qui dixit : Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, — Dic : Juro.

Et per eum qui dixit : Domum proximi tui non concupisces, nec desiderabis uxorem ejus ; nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec omnia que illius sunt. — Dic : Juro.

Juras per quinque libros Legis, per nomen sanctum et gloriosum Helie, Assec Heyc, Halic, Husey, etc. — Dic : Juro.

Et per nomen honorificatum Hiya Hiliathia et per nomen magnum et fortem, tam admirabile quod erat scriptum super frontem Aaron. — Dic : Juro.

Et per nomen admirabile Ananie fortis quod dixit Moyses super mare et per duodecim vias. — Dic : Juro.

Et transirent omnes filii Israel per siccum et submersus est Pharao, et omnis exercitus ejus in mari Rubro, et mannam sanctam quod comederunt parentes tui in deserto. — Dic : Juro.

Et per tabernaculum et omnia vasa ejus et per mensam sanctam et tabernaculum aureum, totam et arcam federis, et per duas tabulas

quas posuit Moyses in ea, per preceptum Domini. — Dic : Juro.

Et per cortinam paratam, ante cherubinum extensam et per vestes sanctas Aaron et filiorum ejus, et per fedus sanctum quod pepigit Dominus cum Moyse et cum filiis Israel in montem Sinaï, in manu Moysis. — Dic : Juro.

Et per juramentum sanctum quod juravit Deus ad Abraham in monte Morya et per terram promissionis et per Israel, et per cathedram honorificatam Dei, et per angelos ministrantes ante sanctum benedictum, et per sanctas rotas animalium, stantes facie ad faciem coram Deo, laudancium et dicencium, voce magna : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt celi et terra gloria sua. — Dic : Juro.

Et per omnes angelos pacificos qui in celis sunt et per omnes sanctos Dei, et per omnes potestates Dei, et omnia nomina sancta et honorificata et mirabilia et terribilia que sunt : Athanatos, Barachu, *Bubrustu*. — Dic : Juro.

Et per illum qui dicitur admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. — Dic : Juro.

Et per omnia nomina sancta omnium angelorum qui in celo sunt et per XXIV libros Legis, et per illud totum quod est in eis scriptum, et per benedictiones et maledictiones que date fuerunt super monte Gariza et super monte Ebal, et per duodecim tribus Israel. — Dic : Juro.

Ut si scis veritatem et vis jurare mendacium, veniant super te omnes maledictiones et apprehendent te. — Responde : Juro.

Maledictus eris in civitate, et maledictus in agro ; maledictum horreum tuum et maledicte reliquie tue. — Responde : Amen.

Et maledictus fructus ventri tui et fructus terre tue, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum ; maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. — Responde : Amen.

Mittat Dominus super te famem, et esuriam et inquinacionem in omnia opera tua que facies, donech conterat te, et perdat velociter, propter adjuventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. — Responde : Amen.

Adjungat tibi Dominus pestilenciam donech consumat te de terra ad quam ingredieris possidendam. Percuciat te Dominus egestate et febri, et frigore, ardore, et fluet aere corrupto et rubigine, et persequatur donec pereas. — Responde : Amen.

Sit celum quod supra te est ferreum, et terra quam calcas ferrea ;

det Dominus imbres terre tue pulverem, et de celo descendat super te cinis donech conteraris; tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, et per unam viam egrediaris contra eos, et per vii fugias, et dispergaris per omnia regna terre. — Responde: Amen.

Sitque cadaver tuum in esca cunctis volatilibus celi, et bestiis terre, et non sit qui ambigat; percuciat te Dominus ulcere Egipti, et partem corporis per quam stercora egrediuntur scabre quoque et prurigine, ita ut curari nequeas. — Responde: Amen.

Percuciat te Dominus amencia et cecitate, ac furore mentis, et palmes in meridie sicut palpare solet cecus in tenebris; et non dirigat vias tuas, omnique tempore calumpniam sustineas et opprimaris violencia, nec habeas qui liberet te. — Responde: Amen.

Uxorem accipias et alius dormiat cum ea. — Responde: Amen.

Domum hedifices et non inhabites in eam. Complantes vineam et non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te et non comedas ex eo. — Responde: Amen.

Asinus tuus capiatur in conspectu tuo et non reddatur tibi; oves tue dentur inimicis tuis et non sit qui te adjuvet. Filii tui et filie tue tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, et deficientibus a conspectu ipsorum tota die, et non sit fortitudo in manu tua. — Responde: Amen.

Et fructus terre tue et omnes labores tuos comedat populus quem ignoras, et sis semper calumpniam sustinens, et oppressus cunctis diebus, ad terrorem eorum quos videbunt oculi tui. Percuciat te Dominus ulcere pessima in genubus, in cuxeis; sanari que non possis, etiam a planta pedum usque ad verticem tuam — Responde: Amen.

Ducetque Dominus te et uxorem tuam et filios tuos et filias tuas in gentem quam non novisti tu et patres tui et servias ibi diis alienis ligno et lapide et eris positus in opprobrium (1) ac fabulam omnibus populis ad quos introduxerit ibi Dominus. — Responde: Amen.

Semen multum jactabis in terra et modicum congregabis, quia locuste omnia devorabunt. Vineam plantabis et fodies, et vinum non bibes, nec colliges ex ea quitquam, quoniam vastabitur vermibus. Olivas habebis in omnibus terminis tuis et non ungeris oleo, quia defluet et deperibit. — Responde: Amen.

Filios generabis et filias et non frueris eis, quoniam ducentur in

(1) Ms. 4673 : positus in *proverbium* et fabulam.

captivitatem. Omnes arbores tuas et fructus terre tue rubigo consumet. Advena, quoniam tecum adversabitur in terra tua, ascendet super te eritque sublimior; tu autem descendes et eris inferior. Ipse fenerabitur tibi et tu non feneraberis ei. Ipse erit in capite et tu eris in cauda. Et venient super te omnes maledictiones et persequentes apprehendent te donec intereas. — Responde: Amen.

Servies inimico tuo quem Dominus mittet tibi, in fame, et siti, et nuditate, *et frigore*, et omnia penuria; et imponet jugum super cervicem tuam, donech te conterat. Adducet Dominus super te gentem de longinquo et de extremis finibus terre, in similitudinem aquile volantis in impetu, cujus linguam intelligere non possis. — Responde: Amen.

Gentem pessimam que non deferat seni, nec misereatur parvulis, et devoret fructus jumentorum tuorum, et fruges terre tue, donech intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum et oleum, armenta gregis boum et greges ovium, donech te disperdat et conterat, et comedat fructum uteri tui et carnes filiorum et filiarum tuarum, quas dedit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate qua operuit te hostis tuus. — Responde: Amen.

Consumetur in vanum virtus tua; non donet terra tua germen suum et arbores terre tue non dent fructum suum. Mittat Dominus bestias agri que consumant te et pecora tua; et ad paucitatem cuncta redigant deserta que fiant in terra tua. Confringat Dominus de te baculum panis et reddat eum ad pondus et comedas et non sis saturatus. Non ignoscat tibi Deus, sed contra te maxime furor ejus firmetur et zelet contra te, et sedeant super te omnia maledicta que scripta sunt in hoc volumine; et deleat Dominus nomen tuum sub celo et consumat te in perdicione, ex omnibus tribubus Israel, juxta omnes maledictiones que in isto volumine continentur. — Responde: Amen.

Et fiant filii tui Orphani et uxor tua vidua fiat, sicut stipula ante faciem venti, et angelus Domini persequatur te. Fiant viè tue tenebrose et lubrice et angelus domini te impellat; fiat mensa tua coram te in laqueum et in tribulationem et in scandalum. — Responde: Amen

Obscurentur oculi tui ne videant, et dorsum tuum semper incurvetur, et fundat dominus super te iram suam, et furor ire sue comprehendat te; et ponat deus iniquitatem (1) super iniquitatem tuam et

(1) Ms. 4673 et *opponat* Deus iniquitatem *suam*.

non intres in justiciam suam. Fiat habitatio tua deserta et in tabernaculis suis non sit qui inhabitet. Deleat dominus nomen tuum de libro vivencium, et in justis non scribaris. — Responde : Amen.

Et fundatur sanguis tuus sicut humus et corpus tuum sicut stercora ; argentum et aurum non liberet te ; in die furoris Domini, percuciat te Dominus omnibus plagis, sicut Pharaonem et populum ejus, si scis veritatem et juras falcitatem. — Responde : Amen.

Percuciat te Dominus sicut percussit Egyptum, sanguine, ranis, *sterlis* et muscis; et mortalitate animalium et ulceribus, et vesicis et grandinibus et locustis et mortalitate primogenitorum tuorum ; maledictio quam maledixit Josue Gerico veniat super te et domum tuam et super omnia que habes. Uxor tua et filii tui mendicent hostiatim et non sit qui consoletur eos. — Responde : Amen.

In ira et furore domini regis et omnium illorum qui te videbunt venias, et omnes amici tui habeant te pro inimico, et semper te derideant. Cadas et non sit qui te adjuvet ad sublevandum ; pauper et miser moriaris et non sit qui te tumulet, si scis veritatem et juras falcitatem. Anima tua vadat in illo loco in quo canes stercora deponunt. — Responde : Amen.

172. — Cunctis pateat (1) *quod ego Ramundus comes Barchinone et Petrus episcopus Elne, cum consilio magnatum et militum comitatuum Cerdanie et Confluentis, miserimus pacem et treugam in dictis comitatibus.*

173. — Hæc est pax (2) *et treuga episcoporum et magnatum comitatuum Rossilionis, Cerdanie, Confluentis, et Vallispirie.*

---

(1) Omis dans les mss.; Marquillez lui a substitué un article : *Ad honorem ejus*, etc., qui interdit l'usage des épreuves ou ordalies et qui ne se trouvant dans aucun manuscrit, ni dans les traductions catalanes, est évidemment d'une date postérieure au 14e siècle. L'*usaticus* : *Cunctis pateat* est traduit dans le vol. 1er des *Const. catal.*, pag. 539.

(2) Omis également dans les mss. — On en trouve la traduction *in extenso* dans les *Const. de Catal.*, *loc. cit.*, pag. 540. On lui a substitué, dans le ms. n° 4673, fol. XXXVI, une autre charte de paix et tréve, de Pierre d'Aragon. Marquillez de son côté lui a substitué une constitution de Jacques Ier d'Aragon, relative aux infractions des tréves, et commençant par ces mots : *Cum intes nostros milites ;* laquelle est de l'an 1251 (voy. pag. 268, *loc. cit.* des *Const. de Catal.*), et se trouve intercalée parmi les *Usatici*, au n° 146, dans le ms. n° 4671. Marquillez, qui ne compte que 173 *usatici*, a terminé ici ses tables et son commentaire.

174. — . . . . . .

Treugam etenim (1) domini confirmaverunt fortiter predicti episcopi, videlicet ut omni tempore tenerentur ab omnibus christianis, ab occasu solis, id est, quarte ferie, mercurii die, usque ad ortum secunde ferie, id est lune die. Item, continuando teneantur a prima die adventus Domini, usque ad octavam Epiphanie Domini, quando festivitas sancti Ylarii agitur. — Item similiter continuando teneatur a die lune que antecedit caput jejunii, usque ad diem lune que est primus post diem dominice octabarum Pentecostes. Item vigilie et festivitates inventionis sicut et exaltationis dominice crucis, et in tribus vigiliis totidemque festivitatibus sancte Marie. Vigilie et festivitates omnium apostolorum. Vigilia et festivitas sancti Laurentii. Insuper cum earum vigiliis posuerunt in hac religionis observacione, scilicet sancti felicis Gerunde, et sancti Johannis Baptiste, et sancti Genesii, ac sancti archangeli Michaëlis, sancti Martini confessoris; item vigilia et festivitas omnium sanctorum; et quatuor tempora posuerunt in tali observancia. — Predictos autem dies qui sunt in treuga Domini, confirmaverunt predicti episcopi, cum omnibus precedentibus et sequentibus noctibus, videlicet ab occasu solis diei ipsius *qua ingreditur*, usque ad *solem orientem diei ipsius* qua egreditur. — Si quis autem, intra hanc predictam treugam Domini, aliquod malum alicui fecerit, in duplum ei componat, et postea per judicium aque frigide treugam Domini, in sede sancti Petri, emendet. — Si quis autem intra hanc treugam, voluntarie hominem occiderit, et consensu omnium christianorum diffinitum erit, omnibus diebus vite sue exilio dampnetur. — Et si fecerit hoc sine aliquo casu, tamen e terra egrediatur usque ad terminum quod episcopus et canonici existimaverunt esse imponendum. — Si quis intra hanc treugam se miserit in aguayt, vel

---

(1) Cet *usaticus* est indiqué dans la table qui est en tête des *Consi. de Catal.*; il commençait par une première conclusion de trêve, arrêtée dans l'église de Sainte-Croix de Barcelone; elle est traduite dans les *Const. de Catal.*, ibid., pag. 542 : *En l'any de la incarnacio M.C.LXIII :* ce qui prouve qu'elle a été introduite dans le texte des *coutumes*, postérieurement à Raymond le vieux. La deuxième partie, que nous transcrivons et qui doit être de la même date, se retrouve dans le ms. 1671 au milieu des constitutions de Jacques et d'Idelons. Le ms. n° 1673 a substitué à ces deux chartes de trêve deux constitutions ayant le même objet, mais émanées de Raymond le Jeune et de Sanche son épouse. De tous ces faits nous concluons que le nombre 174 n'est pas celui des *usatici* primitifs quoique depuis plusieurs siècles il ait été reconnu pour le nombre officiel des articles de la coutume de Barcelone.

ipsum aguayt stabilierit pro morte alicujus hominis, vel pro apprehensione alicujus castelli, et tamen hoc agere non potuerit, similiter, ad judicium episcopi et canonicorum ejus, ipsam treugam Domini si faceret velut si fecisset quod agere temptavit. — Item prohibuerunt ne intrantibus hiis continuatis treugis, videlicet tempore adventus Domini, scilicet Quadragesime, nullum castrum vel municionem edificare presumat, nisi quindecim diebus ante predictas treugas hoc inchoaverit. — De predicta autem pace vel de scripta treuga, querela ad episcopum vel ejus canonicos semper fatigacio omni tempore fiat, sicut superius scriptum, in pace de ecclesiis. — Et ipsi in quibus episcopi, vel canonici predicte sedis, se fatigaverint de directione prefate pacis vel treuge Domini, sive fidejussores vel hostatici pro pace et treuga Domini, malam fidem inde portantes episcopo vel canonicis predictis, similiter excommunicentur et episcopo vel a canonicis ejusdem sedis, cum protectoribus et adjutoribus suis, quamdiu contenderint, sicut infractores pacis et treuge Domini, et ipsi et res sue, non habeantur in pace et treuga Domini (1).

---

(1) Le ms. 4673 contient un moindre nombre d'articles des *usatici* que le ms. 4671; mais, à l'exception des deux chartes de trêve de Raymond le jeune, il ne contient aucun article faux ou altéré. Au contraire le ms. n° 4671, dont le texte est généralement préférable pour la correction à celui du n° 4673, contient plusieurs interpolations que nous devons signaler. Telles sont celles des art. 155 : *Si advocatus;* 159: *De committere;* 160 : *Si habuerit christianus;* 161 : *Si quis a quocumque;* et 162 : *Nullus christianus;* articles évidemment supposés ou substitués par le copiste à d'autres articles tombés en désuétude. Ces articles ne sont pas reproduits dans les *Constitutions de Catalogne* ni indiqués par Marquillez. Il est probable qu'ils n'ont eu force de droit à aucune époque. Nous nous abstenons de les reproduire nous-même.

CONSUETUDINES ET JURA

MONASTERII REGULÆ.

(977.)

Anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXVII, indictione V, in nomine sanctæ et individuæ trinitatis, ego Gumbaldus episcopus Vasconiæ et frater meus Willermus Sancii dux Vasconum tacti divino amore..... decrevimus quoddam monasterium nostri juris.... ad pristinum reducere statum.... quibus super tali deliberatione multimoda animi anxietate fluctuantibus per eam quæ in antiquis sapientiam compertum est ante Normannorum irruptionem et sui destructionem idem monasterium cœnobio Floriacensium fuisse subditum. Non solum enim utriusque monasterii septa lugubri satis devastatione paganorum, verum etiam totius Galliæ et Aquitaniæ nonnulla perierant municipia.... Donamus ergo et donatum in perpetuum esse voluimus cum hac testamenti auctoritate, monasterium nostrum vocabulo Squirs, quod fundatum est in partibus Vasconiæ, in pago Aliardensi, supra ripam Garonnæ fluminis, cum omnibus ad se pertinentibus, hoc est ecclesiis, villis, mansis, vineis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, et justitiis, totum ex integro quæsitum et inexqu situm quidquid ad eundem pertinet, tradimus atque transfundimus de jure nostro in jus et ditionem præfati monasterii floriacensis.....

His itaque taliter peractis atque confirmatis ad preces et instanciam nostram, præfatus abbas floriacensis, nomine Ricardus,..... ad sepefatum locum qui Squirs ab antiquis vocabatur, nunc autem Regula, de consilio nostro et voluntate præfatorum etiam vicecomitum et aliorum baronum terræ, villam, in pago qui dicitur Alliardegs, ædificavit. Jura sibi et ecclesiæ suæ et consuetudines perpetuo observandas

constituit. Easdem vero institutiones ratas habentes, perpetuo nos et successores nostros observaturos, in animas nostras et successorum nostrorum, cum obtestatione nominis Jesu-Christi, pariter juravimus, et transgressores consuetudinum perpetuo anathemate, prout dictum est subjecimus.

Consuetudines vero et jura ecclesiæ de Regula sunt hæc.

1. Imprimis sciendum est quod venerabilis dux frater noster, cum super his assensum præbuisset, retinuit sibi et successoribus suis, in eadem villa, procurationem semel in anno, si sine exercitu per terram transitum eum facere oporteret. Ad hæc sciendum est quod dux, cum privata familia sua, penes ecclesiam procurabitur, ceteri vero milites et servientes per villam procurationem recipient sufficientem. Quod si duci placuerit equus cujus precium sit 200 solidorum burdegalensium, nomine procurationis, ei dabitur. Excepta vero hac procuratione, nihil nobis retinuimus in hac villa vel ecclesia, sed omnia dispositioni abbatis relinquimus.

2. Statutum est quod nullus præpositorum vel priorum, intra villam vel extra, audeat dare domos, terras, vineas, vel possessiones aliquas sine censu. Si vero hoc aliquis facere præsumpserit, non est tenendum, quia hoc sub anathemate dantis et accipientis fuit inhibitum.

3. Statutum est etiam quod si quis possessiones quas tenet in feudo de ecclesia, vendere voluerit, cum assensu prioris vel præpositi, faciat: et prior ipse, si voluerit, emat; alioquin, cui voluerit, vendat, salvo jure ecclesiæ, scilicet de unoquoque solido nummum unum.

4. Statutum est iterum, quod de unaquaque domo, intra villam et extra, habeat ecclesia duos homines vel fœminas cum sarculis unoquoque anno ad segetes purgandas : et dabitur unicuique in Quadragesima una libra servientialis: et alio tempore, in mane una torta de furno et vinum, et in nocte una libra; et in festivitate apostolorum Petri et Pauli, unum fasciculum herbæ de unaquaque domo, priori deferre tenentur; et ad Vincula S. Petri, unum panem talem qui sufficiat homini in mensa; et de unaquaque domo unum hominem ad vindemias colligendas.

5. Statutum est etiam quod omnes homines qui morantur in villa

vel in dominio prioris, intus et foris justiciam debent priori et clavigero.

6. Statutum est quod quicumque segetes ad molendina detulerint, vel vinum ad vendendum, in conductu prioris sint, ut nullus burgensium audeat eos inquietare, ex quo de domibus exientes usque ad propria redeant: quod si hoc facere præsumpserint, gadium solvent; similiter et in manu prioris sicut eodem pacto molendina.

7. Statutum est similiter quod omnes burgenses, si vinum emerint, et postea vendiderint, obolum domino, de unaquaque saumata dabunt. Præterea prior habet bannum salis uno mense in villa, et nullus burgensium audebit vendere et emere, nisi cum assensu prioris: qui vero hæc infregerit, cum damno LXVI solidorum emendabit.

8. Statutum est quod omnes sutores unoquoque anno in festo S. Martini reddant optimos solutares; similiter omnes pelliparii debent priori bonam pelliciam unoquoque anno in ramis palmarum, et in festivitate apostolorum Petri et Pauli, et in Vincula B. Petri: nec miles nec burgensis, vel aliquis hominum, erit liber in his tribus diebus quin persolvant de his quæ vendiderint, vel emerint, tributa priori et monachis.

9. Omni tempore statutum est forum in villa Regulæ, in die Sabbati. Dominus de Girunda tenet in hoc foro in feodum de priore justitiam mercati. Nec debet alia die Sabbati aliquid ultra rivos emere. Quod si factum fuerit, ad dominum Girundæ pertinet justitia. Et ipse die Sabati manulevabit ille dominus Girundæ usque ad octo dies. Quod si tunc non solverit, justitia pertinet ad priorem vel clavigerum. Item prior vel claviger poterunt manulevare. Præfatus vero dominus Girundæ securum conductum dabit venientibus ad forum, in eundo vel redeundo. Carnifices etiam sunt securi ab ea hora qua porcum, vaccam, vel cetera ad officium suum pertinentia acceperint, ita quod non pignorentur, sine consilio prioris vel clavigeri.

10. Eamdem securitatem habent ii qui veniunt ad molendina: qui autem hoc vel illud infregerint, sex solidos solvent. Noster vero molendinarius de unoquoque molendino unam coucam unoquoque die, si voluerit, accipiet ad molendum. Nullus molendinarius quærat bladum per villam. Si factum fuerit, sex solidos solvet. Unoquoque

die Veneris solvent molendinarii clavigero quartam frumenti quod lucrati fuerint sub sacramento.

11. Statutum est quod claviger accipiat, de unoquoque porco, obolum; et de porco ultra 20 den. Lumbos habebit claviger. De vacca habebit duos denarios : de bacone tantundem : et non alibi vendentur carnes nisi in consuetis locis, vel pisces. Diebus etiam dominicis 3 feria et 5 manulevabit carnes claviger, tiliam porci vel apri pro 4 den.; frustum vaccæ pro tribus denariis; quarterium arietis pro uno. Quicunque vendiderit carnes, eamdem servabit consuetudinem.

12. Item, si extraneus portaverit sturionem, denarium habebit claviger; et si ibidem fractus fuerit sturio, nerbilium et bidellum habebit claviger, nec minus habebit denarium.

13. Si duo vel tres socii fuerint in porco vel vacca, vel ariete, de unoquoque manulevabit, prout dictum est superius, etiamsi unus vendiderit pro omnibus. Similiter, si extraneus saumonem portaverit, obolum dabit. Si extraneus portaverit duodenam lampredarum, denarium dabit; si sex, obolum. Si duodecim colagos portaverit per aquam, unum dabit; si sex, obolum. Si cum asino portaverit, tres denarios; si cum equo, vel equa, mulo vel mula, 4 denarios dabit; si cum collo duodena colagorum vel lampredarum, denarium dabit. De sturione et salmone primo captis in Beta, medietatem piscatores dabunt; et tunc accipient illi duo piscatores duos panes servientiales et duas mensuras vini. Et deinceps de omnibus piscibus ibidem captis decimam sub sacramento.

14. Si balæna feratur per mare, frustum habebit claviger : si per terras feratur, vel alii quilibet pisces, fiat sicut superius scriptum est de colagis vel lampredis.

15. Item de his que venduntur in foro. De porco qui venditur ultra 20 denarios, accipiat claviger unum denarium ; et si minus, obolum. De capra, similiter. De vacca, similiter. De bove, denarium De ove sicut de porco; de asino sicut de bove; de equo et mulo quatuor denarios : de cifis et saleriis, de carra bestiæ quatuor cifos et totidem salerios; de collo onusto duos. Die sabbati nemo vendat, intra vel extra, aliquid, quin reddat clavigero consuetos reditus.

16. Statutum est etiam quod si quis porcum extra villam emerit

et infra octo dies vendiderit, denarium dabit : de nomeriis (*vomeriis;* Ducange) et cultris et fosseriis, sarculis, falcibus, toseriis, vasoriis et cæteris ferramentis quæ venduntur in foro, semel in anno ab unoquoque venditore unum accipit claviger. De retumbis et cifis vitreis, de cæpis et aliis, unoquoque sabbato et dominica, exceptis illis de Papeyran, unam cordam et de scaloriis unam gerbam. Habitantes in terra de Papeyran liberi sunt in omnibus quæ nascuntur in eadem terra. Si extra terram illam aliquid acquisierint, non sunt liberi.

17. Item accipit claviger de vendentibus sal, die sabbati, in foro, de unoquoque unam palmatam ; et in dominica similiter. Et ut breviter concludam : quocumque modo vel quacumque die extranei aliquid portaverint, vel cum aliqua re transitum fecerint, jus suum recipiet claviger. Sic sal, equi, porci, oves, boves, bladum et cetera ; et in foro, manulevabit claviger quidquid voluerit per octo dies.

18. Item habebit claviger de his omnibus qui vendunt saginum, omni quinto decimo die sabbati, unam obolatam. In festo beati Petri, accipit claviger unam corrigiam de unoquoque mercenario.

19. Item Passapont recepit nomine nostro de ligassa lini unum palalduit in foro et plenam manum lanæ, juxta quod ibi fuerit; de mercenariis quinto decimo die obolum ; de his qui deferunt vasa vitrea, unam lampadem ; de fasciculo ciforum, unam. Pro his tenetur Passapont et ejus successores in dormitorio facere luminare et in camera prioris, dum ipse præsens fuerit. De nattis, unam habebit claviger, semel in anno : et sic de ceteris quæ venduntur.

20. Statutum est quod ille quem prior in jus vocaverit, statim coram eo cum fidejussoribus se præsentet, nisi jam manum ad comedendum lavaverit, vel ad lavandum caput jam se paraverit. Si vero post vesperas eum vocaverit, in crastinum coram eo cum fidejussoribus appareat. Ille vero qui die assignata usque ad horam sextam coram priore non comparuerit, tanquam convictus judicabitur. Quod si præsens prior non fuerit, clavigero se præsentet.

21. Item de unaquaque saumata lignorum dabitur domui nostræ unum lignum per omnes portas de his qui sunt extranei.

22. Statutum est etiam quod prior, tempore vindemiarum, per omnes portas villæ diriget nuncios suos, ad quorum conspectum

decimæ vini et quarta fideliter reddantur, prout in scriptis eorum continebitur. Et debent deferre illi quorum sunt vineæ ad torcular prioris sine ipsius adjutorio. Item, de omnibus obliariis qui fabbas excolunt, dabitur conventui coquus vel alter serviens onustus de fabbis. Tempore vero suo de agresta per vineas arripient servientes coquinæ: similiter de oleribus à Natali usque ad Quadragesimam, et in Quadragesima de portis similiter.

23. Statutum est præterea quod omnes baillivi ad hoc sunt constituti, ut census bailiarum nobis absque difficultate reddi faciant: videlicet frumenti, avenæ et denariorum. Quod si in festo b. Martini ad præfatos census subditos suos non compulerint, bailivi debent pignorare; sed ad priorem pertinet justicia.

24. Præterea statutum est quod claviger per totam villam accipiat asinos ad deferendum bladum suum.

25. Item, cum comes procurationem suam accipiet, claviger per totam villam manulevabit porcos et capiat gallinas per domos.

26. Sciendum præterea quod per omnes bailias nostras accipimus ab unoquoque villano unam gallinam, duos fasces palæ, et unum panem, et traceam boum in vigilia natalis Domini.

27. Item, omnes baillivi nostri et foris debent procurationem priori semel in anno, præter homines de Pins.

28. Item, omnes villani de bailliis nostris debent procurationem priori semel in anno.

29. Boneta de Bordes et successores sui debent priori procurationem apud Burdegalam, cum his omnibus quos secum habebit; et equos similiter procurabit et hoc semel in anno.

30. Milites de Bordes solvunt procurationem plenam priori et sociis suis et omnibus quos secum adducet; et superventientes similiter procurabunt; et debent commodare priori unum equum, cum sturiones ad sanctum benedictum miserit; quod si in via equus decesserit, prior equi pretium eis restituet.

31. De jure prioris est et ecclesiæ de Regula, ut lites, discordias, causas, et judicia, per judices quos voluerit, et undecunque voluerit, intus vel extra, terminet. Si qui vero adventitius vel naturalis sine

hærede legitimo decesserit, res ejus, si solutus fuerit, ad priorem pertinent: si conjugatus, medietas.

32. Homines de Lauizon: Willelmus Textor, Petrus Ogan, Willelmus Garsias et Vitalis Juliani, debent portare priorem per mare cum sociis suis ubicumque voluerit, et reducere similiter; et debent deferre similiter bladium per mare, quacumque parte domus nostra habuerit, et nocte qua redierint, habebunt de cellario portatores isti panem et vinum.

33. Præpositus de Lobanaeg debet procurare priorem et socios suos semel in anno; et omnes illi qui sunt de præpositura illa aliam tantum debent procurationem priori et sociis suis, semel in anno. Præpositus Sanctæ Aurelianæ cum participibus suis, debent procurationem priori semel in anno, et in mutatione cujusque prioris 14 solidos Burdegalenses, nomine Sportulæ, et Aiquilinus de fonte sex denarios Sportulæ.

34. Amaneus de Lobengs et sui debent facere hominium priori pro mota sua et pro feodo Regulæ, et pro justicia fori, et pro his quæ tenet ab eo, intra et extra; et præterea pro his omnibus faciunt solemnem in die Paschæ toti conventui de Regula.

35. Item, Arnaldus Bernardi de Taurignac facit hominium priori pro devalata pedagii Marie de Gerunda, et præterea pro communitate Casati, cum participibus suis, annuatim in vincula b. Petri, 5 solidos Burdegalenses.

36. Item, Helias de Barela debet solvere conventui de Regula annuatim 24 panes et 12 lampredas, et unam saumatam vini in ramis palmarum.

37. Item, dominus de Culed-Manirou debet facere hominium priori pro feodo quem tenet in villa de Regula. Dominus de Landerro et sanctæ basilicæ debet facere hominium priori pro his quæ tenet in foro Regulæ, et in Salargiis et pro feodis domorum quæ sunt in eadem villa et pro his omnibus quæ tenet à rivo qui dicitur Merdanus usque ad Regulam.

38. Item, Donatus Garsiæ vel Berned et ejus successores debent assistere priori in judiciis, pro feodo quem tenet infra Regulam.

39. Item, homines de Taurignac et homines de Sancto Michaële, et de Guarzac, si forte prior propriam guerram habuerit, debent venire in ejus auxilium pro feodis quæ tenent intra villam.

40. Item, si prior proprium bellum habuerit, pro exheredatione terræ, medietatem expensarum facient Burgenses, aliam medietatem prior. Pro tali bello tenentur se præsentare dominus Gerundæ et dominus de Taurignac et dominus de Berned.

41. Item, si aliquis miles, feodetarius prioris, contra priorem, quod absit, in aliquo deliquerit, per nuncium suum ipsum in jus vocabit; et in manu prioris, de querelis, quod justum fuerit, exequetur. Quod si in ejus manum jure parere noluerit, feodum occupabit.

42. Statutum est præterea quod si Judeus transitum fecerit per villam 4 denarios solvat clavigero; de equo Hispaniæ, 4 denarios; de traca (*carga?*) coriorum boum, ovium, vel caprarum, 4 denarios; de uno corio, unum denarium; de carga stagni vel metalli, 4 denarios. Quicunque vendiderit equum in foro, 4 denarios; extraneus ubique. Constitutum est præterea et jurejurando firmatum, quod neque prior, neque claviger aliquem vel aliquam supercurrat, dum ille vel illa fidejussorem priori gratum dare poterit.

43. Item, nemo cultellum, ensem, lanceam, spiculum, securim, besogium, neque gladium in contentione trahat; quod si traxerit, et non percusserit, et traxisse convictus fuerit, sex solidos priori sine intermissione dabit. Si vero percusserit, et sanguinem effuderit, 66 solidos similiter dabit priori, et damnum percusso ex integro restituet. Aut si hoc totum facere non poterit, uno membro curtabitur. Si percussus mortuus fuerit, ille qui percussit exheredabitur et hereditas tota et possessio pertinebit ad priorem.

44. Item, nemo extra villam, vel infra, aliquem capere præsumat sine assensu domini prioris vel clavigeri; sed si casu contigerit, quod ante præsentiam prioris vel clavigeri cum capto se præsentet, si tamen tempus fuerit opportunum. Quod si id facere neglexerit, 6 solidos dabit priori. Item, si contigerit quod aliquis aliquem ante presentiam domini percusserit, absque dubio damnum restituet et priori satisfaciet.

45. Item, de mensuris, cujuscunque modi sint, ut de conchis, de virgis, de cubitis, de lanis quibus panni venduntur, et de libris, et de rasoriis quibus sal et segetes traduntur, firmiter fuit constitutum omnia esse æqualia et justa. Quod si penes aliquem aliquod istorum falsum inventum fuerit, 6 solidos priori solvet. Quod si aliquis reclamaverit et probaverit se in hujusmodi mensuris fuisse deceptum, deceptor damnum restituet, et priori sex solidos solvet.

46. Similiter, de hortis in villa constitutis et circumjacentibus, et de vineis, statutum est et jurejurando firmatum, quod nemo audeat in hortum vel vineam alterius intrare, nec aliquid rapere, neque olera, neque portum, neque fructus si fuerint sibi.

47. Similiter, de vineis, neque agrestam, neque racemos, neque paxellos, neque aliquid earum. Quod si aliquis fecerit, et de facto comprobatus fuerit, damnum restituet, et priori sex solidos solvet; et si dare non possit auriculam perdet.

48. Item, statutum est ne aliquis sine assensu prioris in expeditione eat, nec prece, nec precio aliquorum ductus castellum ingrediatur ad defendendum, vel foras ad expugnandum. Quod si fecerit et vulnus intulerit, 66 solidos priori dabit, et percusso damnum restituet. Si occiderit hominem, omnia confiscantur priori. Si quis autem, superbiæ fascibus accensus, negligenter de villa exierit profugus, ea occasione quod dicit Burgenses vel ipsum priorem sibi injurias irrogare, et nolit juxta statuta villæ judicio injurias persequi, post primam et secundam admonitionem prioris, per se vel per suos factam, ille talis omnibus diebus vitæ suæ ex tunc exul et profugus non reversurus abeat, et omnis ejus hereditas priori incurratur.

49. Demum statutum est quod quicumque, intus vel extra, aliquem vel aliquam interfecerit, sine misericordia incurratur domino.

50. De minimis autem querelis, ut est de percussione sine sanguinis effusione facta, et de illatis contumeliis, de capillis ruptis, et de aliis hujusmodi, ut consuetum est et statutum teneatur.

51. Item, si quis virginem corruperit vi, si mulier fuerit vilior eo dabit ei maritum consilio amicorum suorum, vel accipiet eam in uxorem. Quod si mulier fuerit nobilior, ad arbitrium prioris, et amicorum mulieris, mulieri satisfaciet et 66 solidos priori solvet.

52. Item, si aliquis quamlibet aliam stupratus fuerit, 6 solidos dabit priori et mulieri satisfaciet. Si quis conjugatam rapuerit, et cum ea fugerit, ut de homicidio stabilimentum villæ servetur.

ADDITIONS ET CORRECTIONS.

Page 17, ligne 1re, recipias, *lisez* : recipiam.
18, *ponctuez ainsi la 9e ligne* :
confiteatur debitum, sine aliqua controversia victus, *etc.*
26, 11, prout in jure, cavetur et tunc, *lisez* : prout in jure cavetur, et tunc, *etc.*
42, 5, cameran, *lisez* : cameram.
Ib., 25, insulas, *lisez* : infulas.
46, 16, tantum unius, *lisez* : tantum minus.
50, 4, pro grammate, *lisez* : programmate.
52, 18, in volueris, *lisez* : involucris.
62, 24, *au mot* : inclitus ; *placez des guillemets jusqu'à la fin du 2e alinéa de la page 63, en effaçant à la ligne 7 les mots* : item super eodem, *qui sont évidemment une note du copiste. La lettre du chancelier commence au mot* : inclitus, *et finit a* exoriri.
63, 24, *lisez* : et faciatis ab aliis inviolabiliter observari, cauti attentius ; *etc.*
Ib., 28, epressè, *lisez* : expressè.
77, 23, regalis, *lisez* : regulis.
80, 5, *lisez* : nihil solvat, cum carcerarii, *etc.*
165, 6, o donat ; Layssera, *lisez* : o donat, layssera, *etc.*
240, 1, MUNICIPLES ; *lisez* : MUNICIPALES.
279, art. 61, *lisez* : se aucun ploigent corp pour corp, auoir pour auoir, *etc.*
310, 1, *ajoutez en note* : ces instructions se trouvent dans quelques éditions du Grand Coutumier, d'où l'on tire les corrections suivantes :
3, entre quelques testes, *lisez* : entre queue et teste.
4, *lisez* : *de* bonne monnoye à vendre, *etc.*
14, *lisez* : ung parisis, a la taille du roy sainct Loys.
311, 6, *lisez* : le rouail, le vraye a chausse orbe, les pescheurs, *etc.*
312, 1, *lisez* : hairon vif, si ce nest a faucon ou autre oyseau, *etc.*
6, *le Grand Coutumier porte* : ne pueent aller voler au gibier a quelques, *etc.*
20, et se par congie, *etc.*, *lisez* : et semblablement se par congie des gens du roy ils prennent aucuns, *etc.*
Ib, à l'art. 256, *ajoutez en note* : les art. 256-258 sont pris d'une ordonnance du roi Jean, du 28 décembre 1355, qui est rédigée un peu différemment dans l'un de ses articles, le 257e de notre coutume.

Pag. 313, lig. 3, tant de nos causes, *etc.*, *lisez* : tant de nos eaues, que semblablement des eaues des prélats, barons, *etc.*
6, *lisez* : les RAITZ et les filets, et avoir cognoissance, *etc.*
9, *lisez* : preignent cognoissance..... de tels cas.
321, 10, qui en tel cas reputez, *lisez* : qui en tel cas représentez.
322, 20, art. 280, descendre muert chevau, *lisez* : descendre ou monter, *c'est ce que semble indiquer la suite de l'article*; *on pourrait aussi lire*, descendre ou muer chevau.
Ib., 26, art. 281, *lisez* : item faut faire trois crys;
341, 15, art. 9, serve, de mainmorte, *lisez* : serve de mainmorte.
360, 3, *lisez* : et qui en use autrement que l'usage ne veult, ou le recèle, ou recelement l'amende est, *etc.*
Ib., 17, art. 61, l'ayra, *lisez* : layra (ne laisserai-je pas).
367, 15, art. 83, cuyr donen, *peut être* cuyr cordouan (cuir de Cordoue).
370, 35, art. 92, qui..... l'airoit à vendre, *lisez* : qui lairoit (qui manquerait).
Ib., 37, pour ce ne l'airoit l'en pas, *lisez* : pour ce ne lairoit l'en pas.
376, art. 137, *lisez* : quiconque amene vivres, bestes, ou quelzconques denrées.
392, 35, art. 202, toutes voies lieve s'en, *lisez* : toutes voies lieve l'en.

TABLE

DES MATIÈRES CONTENUES DANS LE TOME DEUXIÈME.

	Pages.
INTRODUCTION	1
Carta consulatus Arelatensis	1
Statuta Raymundi Berengarii (1235)	4
Statuta curiæ Aquensis	16
Statuta Caroli Primi	25
— Caroli Secundi	29
Statuta J. Scoti Senescalli (1288-92)	39
Alia Statuta Caroli Secundi	44
Statuti Petri de Ferrariis	52
Littera J. Cabassolle (1306)	61
Statuta Roberti ducis Calabriæ	64
Statutum super Statu advocatorum (1280)	82
Statutum super Statu Tabellionum (1280)	84
Alia Statuta Caroli Secundi	87
Constitutiones provinciales concilii Avenionensis (1337)	88
Statuts municipaux de la ville d'Apt (1252-1422)	128
Statuts d'Arles (1162-1202)	185
Statuts municipaux de la ville de Salon (1293)	2[illegible]6
Coutumes de Bourgogne (1270-1360)	268
Coutumes de Beaune (1370)	329
Coutumes de Châtillon (1371)	338
Coutumes de Charroux (1170-77 à 1247)	399
Coutumes de Malthay (1306)	406
Coutumes de Reims (1250?)	418
Coutumes de Chatelblanc (1306)	419
Formulæ Andegavenses	425
Les Coutumes de Barcelonne (1068-1163)	455
Coutumes de La Réole (977)	510

FIN DU TOME DEUXIÈME.

Stanford Law Library
3 6105 062 570 705

Stanford Law Library
3 6105 062 570 705